DE GRAECA RADICE MAN
COGNATARUM LINGUARUM RATIONE HABITA.

SCRIPSIT

JONAS BABAD

RZESZOWIENSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

PROPOSITA.

VRATISLAVIAE

TYPIS F. W. JUNGFERI.

MDCCCLXXIV.

GEORGIO CURTIO

VIRO DOCTISSIMO, HUMANISSIMO, ILLUSTRISSIMO

AUCTOR.

PRAEMITTENDA.

Quin grammaticae comparativae ope fieri potuerit, ut alicujus radicis linguarum Indogermanicarum forma ac species in lucem proferatur ejusque vis ac significatio illustretur, quis est, qui dubitet? Nam sejunctis stirpibus et verbalibus et nominalibus a suffixes et verbum et nomen ex uno eodemque elemento h. e. radice procreatum esse apparuit. Qua cum aliarum linguarum radice comparata, cujus vis ac natura prioris non erat dissimilis, cognatarum linguarum primitivae radices inventae sunt.

Atque cum etiam de nostra radice a multis viris doctis et longius et brevius tractatum esset, ut a Pottio (Etymologische Forschungen II. 4, p. 94 sqq. et II. 2, 1 p. 284 et in Kuhnii Ztschrft. für vergleichende Sprachforschung VI 106 sqq.), Benfeyo (Griech. Wurzellexicon II 34 sqq.) Curtio (Grundzüge der Griech. Etymologie p. 312[4]) Crecelio (über die Wurzeln MA und MAN Elberfeld 1860 Progr.) aliisque, tamen non ineptum videbatur esse, de integro commentatiunculam de MAN radicis usu verbali et nominali scribere. Pottius enim et Benfeyus sonorum naturam potissimum spectaverunt, Crecelius autem, qui breviter tantum de hac re disseruit, propter significationum diversitatem duas esse radices man putavit. Curtius quidem pro libri sui ratione significationes magis adumbrare, quam enucleare et illustrare potuit; attamen viam ac rationem illius viri doctissimi et sagacissimi hic exprimere summo opere studui.

Meum enim fuisse opinor, et sonos, quales in variis nostrae

radicis formationibus et verbalibus et nominalibus appareant, spectare, et significationes, quomodo alia ex alia enata sit exponere, et notiones, quae primo quidem conspectu inter se repugnare videantur, consociare et ad unum quasi fontem, ex quo illae emanaverint, reducere.

Atque hanc dissertationem in tres partes esse dividendam putavi. In prima enim de variis radicis «man» formis non solum in Graeca lingua sed etiam in cognatis linguis egi, in altera de significationibus et longius quidem tractavi, ubi sententias discrepantes refutare meamque confirmare studui, in tertia denique parte omnes formationes et verbales et nominales, quae in Graeco sermone ex radice nostra profectae sunt, protuli; nomina autem quae vocamus propria raro attigi, verebar enim, ne justos fines egressura fuisset commentatio. Sed haec hactenus; jam ad quaestionem nobis propositam transeamus.

Caput I.

De variis „man“ radicis formis in linguis Indogermanicis.

Inter omnes constat plerasque radices Indogermanicas, quae in m vel n literam desinant, a brevioribus ortas esse; quamobrem Curtio auctore (Grundzüge[4] p. 71) illa litera «determinativa» appellari potest, quae ad primitivam radicem accedendo significationem ejus modo mutaverit, modo nullam, quoad ex variis formationibus intelligi potest, significationis differentiam effecerit.

Atque hoc in genere radices numerandae sunt, ut gâ (i. e. ga cf. Schleicher: «Beiträge» II. 92, sqq.) et gam, tâ et tan, g'â et g'an in Sanscrito sermone, quibus respondent in Graeco: βα et βαν (cf. βαίνω = βαν-jω), τα et τεν (τείνω), γα et γεν (cf. ἐ-γεν-ό-μην), in illo autem genere radices habendae sunt, ut bhâ «lucere» et bhan «loqui,» (quae radix in Vedis bhan scribitur et «sonare» significat cf. Curt. l. c. p. 67), et mâ «metiri» et man «cogitare.» Sed de significatione in altera commentatiunculae nostrae parte agetur.

Jam ex variis formationibus, quae ex illis radicibus modo commemoratis tanquam e fontibus emanaverunt, satis superque apparet radices nasalibus terminatas ex brevioribus profectas esse, quibus illae consonae non sint affixae. Sic in Sanscrita lingua a «tan» radice participium tata-s, et a man ma-ta-s formatum est, quibus respondent Graeca: τα-τό-ς a τεν rad. et -ματο- in αὐτόματος a μαν vel μεν, aliaquae ejusmodi. Quare jure ac merito contendi potest radices nasalibus carentes primitivas esse, et has literas ad illas radices postea accessisse, quod sane ante linguas Indogermanicas segregatas factum esse videtur. Sed de hac re hactenus. (cf. Curt. l. c. p. 61 sqq. et: «Zur Chronologie der Indog. Sprachforschung» p. 25[2]). Transeamus nunc ad singulas radicis «man» formas, quae in linguis Indogermanicis inveniuntur. Sed, ut jam monuimus, tota haec quaestio a breviore radice «ma» proficisci debet.

Atque, ut a Sanscrito sermone incipiamus, radix «ma» perhibetur in participio: ma-ta-s «cognitus, perspectus,» et in nominibus: mata-m n. «sententia,» «opinio,» et ma-ti-s f. «sensus,» porro: dur-mati. f. «invidia,» «odium,» et adj. durmati «stultus,» denique: pra-mati f. «cura,» «tutela.» — Producta autem a vocalis est in: -mâti- ut in abhi-mâti, quod insidiatorem et insidias significat, et in upa-mâti «petitio,» «preces.»

Illi autem Sanscrito «mati» respondet in Sendica lingua: -maiti- in: anu-mai-ti «cogitatio consentanea» et: ârmaiti «animus excelsus» et pairi-maiti «superbia.»

Ac multo plura vocabula sunt, quae ab illa radice «ma» in Graeco sermone formata sunt, velut:

a) μά-ρη, «manus,» unde derivata sunt: εὐ-μα-ρής «facilis» et εὐμάρεια «facilitas.» Porro: αὐτό-μα-το-ς et ἠλέ-μα-τος, μα-τήρ· ἐπιζητῶν apud Hesychium et μάτος· ἡ ζήτησις apud Hippocratem. A mata-autem stirpe formata sunt: ματεύω quaero et ματέω apud Hesychium.

b) rad. μα apparet in vocabulis, quae reduplicatione orta sunt, ut: μέ-μα-μεν «studemus,» μεμαώς, cujus formatio eadem est atque γεγαώς a γα vel γεν rad.; tum: μαι-μάω «concupisco,» cujus reduplicatio abnormis comparanda est cum δαι-δάλλω, ποι-πνύω a πνυ rad., quae Gothicae magis respondet reduplicationi, velut: hai-hald ab haldan; apud Homerum autem etiam μαιμώω invenitur, ut E 661: διέσσυτο μαιμώωσα. (cf. Curtii «Erläuterungen» p. 100 et Stud. III. 400.)

c) Atque, ut in Sanscrita lingua, sic in Graeca μα syllaba producitur, velut in: μῆ-τι-ς, quod significatione et forma aptissime quadrat ad Sanscritum abhi-mâti, quod supra commemoravimus. A μητι- stirpe derivatum est: μητίομαι «consilia agito» et μητιάω «consulto,» utrumque jam apud Homerum usitatum; apud Hesych. autem etiam μητέω exstat, ut in: θεομητεῖ· θεοφορεῖται, θεῖα φρονεῖ, et in: δολομητέω· δόλια βουλευομένου. Deinde: μητιόεις et frequentissimum apud Homerum et Hesiodum Jovis epitheton: μητίετα, quod eadem ratione formatum est atque ἀρι-δείκ-ε-τος. Atque μα rad. in Graeco sermone in μας (cf. Leskien in Curt. Stud. II. 88, et Curt. «Das Griech. Verbum» p. 298) et

μακ (cf: Curt. in KZ. III, 410) propagata est. Ad priorem autem μας, quam in Sanscrita lingua nusquam nisi in radicum indice invenimus, pertinent: μαίομαι pro *μας-jo-μαι ut λι-λαί-ο-μαι a «las» rad., μάσμα «quaestio,» μαστήρ, μάστειρα, et a *μαστευ- formatum est: μάστευμα, «indagatio», μαστευτής «indagator» aliaque similia. Ad posteriorem autem μακ referendum est: μαιμάσσω «concupisco,» «saevio,» quod cum μαιμάω sub eandem rationem cadit atque πτήσσω ad πεπτη-ώς; porro: μαῖμαξ· ταραχώδης apud Hesych., μαιμάκτης, μαιμακτηριών alia.

Atque etiam in Latino sermone formationes ex ma rad. ortae inveniuntur, ut ma-nus, quod certe ut Graecum μά-ρη ab illa rad. profectum est, cum vocabulum «manus» et tangendi et metiendi notionem contineat (cf. Curt. Grundzüge p. 329). Inde manuari i. e. furari apud Gell. 16, 7, 2 dictum est, et nomina formata sunt, ut: manica, manu-brium, manulea, manufestus (Lucr.), mancipium (= ὑπόχειρος) aliaque id genus. — Num autem metus, ut aliquem animi motum (cf. μαίνομαι «furere» in Graeco sermone) significet, Benfeyo auctore (l. l.) huc adnumerari possit, vel, ut sit metus: «haesitatio, cunctatio» («bedenken») quae est Fickii sententia (Wörterbuch der Indog. Sprach.[2] p. 146) in dubio videtur esse.

Sed haec opinio propterea probabilitatem quandam habet, quod de «metu» apud Ciceronem est (Tusc. IV, 37, 80): «spes est exspectatio boni, mali exspectationem esse necesse est metus;» vel ibid. V, 18, 52: «est enim metus futurae aegritudinis sollicita exspectatio.»

In Germanica autem lingua vocabula e «ma» rad. orta sunt: môda- N. môds, et Germ. vet.: môot, nostrum: «mût» et animum et iram significat; inde adj. Goth. modags «iratus» derivatum est, subst. autem -modei- in: muka- modei f. «animus mitis,» «clementia» et lagga- modei «patientia» ex ficto *modin ortum est (cf. L. Meyer: Die Gothische Sprache 240).

Neque desunt formationes, quae ad ma rad. referendae sunt, linguae Slovenic. vet. et Lituanicae; ut in illa: sŭ-mê-ją, sŭmê-ti «audere,» et in hac a stirpe nominali mata-, quam supra commemoravimus: mataú, matyti «videre,» «perspicere,»

et Lettice: mattu, mast «animadvertere», mattit «sentire» aliaque similia.

Atque, ut jam vidimus, ex «ma» rad. «man» orta est, quae multas praebet formas. Sic etiam in Sanscrita lingua: man, mân, mun perhibentur:

a) man: in manje — manjate secundum quartam vel manvê — manute secundum octavam conjugationis classem «cogitare, putare.» Nomina autem sunt: manas «animus» unde: dur- et sumanas formata sunt, porro: manja «maeror.» «ira,» mantu «arbiter,» «consilium,» «peccatum,» mantar «cogitationis particeps,» manotar, a manu-te cum vocalis auctione «inventor,» mantra «consilium,» «carmen sacrum,» unde mantrin «consiliarius» et mantrajati «dicere», «loqui» derivata sunt, denique man-man «mens,» »cogitatio« aliaque vocabula, quae enumerare longum est.

b) mân in: mâna «honor,» superbia, unde profecta sunt: mânin «superbus et mânajati «colere,» «honorare»; porro: mânasa «animus,» «mens» et mânusha «homo» (a manus them.).

c) mun in uno vocabulo: muni «divino afflatu concitatus,» «vates,» «sapiens.» (cf. Lexic. Petropolit. s. v.).

In Sendica autem lingua item verbum man: mainyete invenitur, quod «cogitare,» «metiri,» «manere» significat; inprimis composita: upa-man (= ὑπομένειν) et framam manendi vim habent. Atque formationes nominales sunt: mananh «animus, mens,» cujus vis ac natura eadem est atque Sanscriti manas. Vocabulis autem: manus, mantra, mantrin, manju illius linguae respondent in Sendica: manus-cithra «heros,» mâthra «vox sacra,» mâthrin ejus «praedicator,» mainyu «animus,» «caelum» (h. e. animorum concilium, inde mainyava «caelestis» est).

Atque in Graeco sermone has invenimus formas: μεν, μον, μαν, et vocali producta: μᾱν Dor. et μην Jon., et μι-μεν, quae reduplicatione orta est. Sic μεν perhibetur in: μένω maneo, μένος, unde ἀμενής, εὐμενής, δυςμενής orta sunt, quae Sanscritis: manas, amanas, sumanas, durmanas respondent. Porro a nominali stirpe μενες- deductum videtur esse: μενε-αίνω pro *μενεσ-αινω ejecto inter vocales σ (cf. Benfey. l. l.); quae verbalis formatio fortasse comparari potest cum nominali, dico enim:

ἐλε-εινός et νηλεες in νηλεής (cf. Leskien. in Curt. Stud. II. 101); δυςμεναίνω vero a δυςμενής sic formatum est, ut δυςχεραίνω a δυςχερής. Correpta autem μενες stirps est in μενο-εικής ut in τειχο-μαχία τειχες. Sed fortasse etiam μενο- nominalis stirps exstitit, quae est G. Meyeri quoque sententia in Curt. Stud. V, 92. A μενον autem themate derivanda esse videtur *μενον-ιαω forma desiderativa, unde epenthesi ι literae μενοινάω factum est; quam stirpem μενον in verbalibus formationibus invenimus: μενοί-νει· προθυμεῖ, φροντίζει et μενοίνας· φροντίσας, quae apud Hesychium exstant, et in nominali: μενοινή ex *μενον-ιη, ut ab ἀγκών ἀγκοίνη ortum est. Propagatum autem est μεν in μενε, velut in: με-μένη-κα, δυς-μενέ-ων, εὐ-μενέ-της aliisque. Postremo radix μεν inest in Μέν-τωρ, et ex Curtii sententia etiam in ἀμενηνό-ς a μένω «manere,» ut eadem ratione formatum sit, atque ἑανό-ς ab ἑς rad. (cf. Curt. Grundz.[4] 379). Sed, ut infra videbimus, illud vocabulum significatione quidem ad μένος «animus» magis quadrat quam ad manendi verbum. Quare cum L. Meyero (Vgl. Grammat. II, p. 569) et Leskienio (l. c.) facio, qui ἀ-μεν-ηνός a μενες derivari volunt, ut ex *ἀμενες-ηνος ortum sit, velut in Sanscrito sermone sahas-âna «vi praeditus» significat.

Atque μον formam una verbalis vox praebet: μέ-μον-α, multae nominales, ut: μονή, μονίη, μονητός, μόνιμος, ἔμμονος alia similia. Neque dubium est, quin etiam Μοῦσα nomen ad radicem nostram pertineat; sed quomodo id vocabulum ortum sit, non satis constat. Graecarum enim dialectorum formae, ut Jon. Μοῦσα, Aeol. Μοῖσα (cf. Ahrens. Aeol. p. 99) et Dor. Μῶσα et Μῶα (Lacon.), inprimis autem Argiv. Μόνσα (cf. Ahrens. Dor. p. 107) primitivam vocabuli speciem Μοντια fuisse demonstrant, ut participii instar et feminini quidem generis formatum sit. Atque jam a Platone deae nomen in Cratylo (p. 406 A) «ἀπὸ τοῦ μῶσθαι» derivatum est, a grammaticis vero a μάω, quod ab iis esse fictum jam Ahrensius (l. l.) vidit. Huc accedit, quod, ut Lottnerus (K. Z. V, 398) animadvertit, designatio poësis deae: «ea quae petat,» plane inepta est. Quare is ipse *Μόντια femininum esse ducit masculini μάντις; quae opinio propterea aliquam probabilitatem habeat, quod apud Hesiodum de Musis est in Theog. 38: εἰρεῦσαι τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα. Sed recte Pottius (K. Z. VI, 110) contra

dicit, primum nihil esse, cur α in ο sit mutatum, deinde illam formationem Μοντια a μαντι- omni carere analogia, tum μάντις vocabulum communis esse generis, cum etiam ἡ μάντις exstet. Quare Pottius ipse ab Hesychii glossemate, quod satis corruptum est, μνανόοι· μοῦσαι, μνηστῆρες profectus, id pro *μνοῦσα dictum esse censuit; cujus rei exemplum affert Graecum μεῖον pro *μνειον; quod multo aliter se habet (cf. Curt. Grundz.[4] p. 337). Aliam autem sententiam protulit Benfeyus in libro suo: «Geschichte der Sprachwissenschaft» inscripto p. 43. In Vedis enim frequentissimum carminis nomen est: mati h. e. «cogitatio,» cujus vocabulum epitheton est: svarju h. e. «caelum petens.» A Graecis vero μοῦσα, quod, ut infra videbimus etiam «carmen» significat, dea putabatur esse, ut apud Indos vâk′ (= vox) et sarasvati «loquela,» «sermo.» Atque mati et μοῦσα a primitivo mantjâ orta esse censet; -antyâ autem in Sanscrito sermone: atî vel ati, in Graeco: οντια, ονσα, ουσα factum esse, ut ex i rad. feminini generis participium = jantjâ Skte. jati et Graece ἰοῦσα formatum sit. Sed si verum illud esset μο stirps pro μα statuenda esset, ut δι-δοῦσα ex *δι-δοντια profectum est, quae nusquam invenitur. Alias autem de μοῦσα vocabulo protulerunt sententias Bergkius Philol. XI, 382 et Sonnius K. Z. X, 128, quae omnino non arrident. Sed, quamquam de origine illius vocis adhuc sub judice lis est, tamen eam ad radicem nostram pertinere, veri simillimum est. — Redeamus, unde digressi sumus.

Atque tertia rad. nostrae forma in Graeco sermone est μαν, quam praebet μαίνομαι h. e. *μαν-jo-μαι; activum non invenitur nisi in ἐκμαίνω; a propagata autem stirpe μανε perfectum tempus μεμάνη-μαι formatum est. Permultae vero sunt formationes nominales, ut: μαν-ία, μανιάς, μανικός, ἐκ-μαν-ής; praeterea: μάντις, μαντικός, μαντοσύνη, quod ex quodam *μαντον ortum est, ut σωφρο-σύνη a σωφρον-. Porro: μαντεῖον, μαντεία; a *μαντευ stirpe derivanda sunt: μαντεύομαι, μάντευμα aliaque id genus.

Producta autem vocali α ortum est: μᾱν vel μην, velut: μῆν-ις, Dor. μᾶνις, quod, cum «ni» suffixum in Graeca lingua rarissimum sit, — unum enim praebet exemplum σπά-νι-ς —, non a ma rad., ut est Schleicheri sententia (Compend.[3] 417) et Fickii (Spracheinheit der Indogerm. Europ. p. 351) sed a «man»

profectum esse puto. A μηνι-derivata sunt μηνίω, Dor. μανίω, μηνιάω, μήνιμα, μηνιθμός alia.

Atque reduplicata rad. nostrae forma με-μεν apparet in: Μέμνων pro *μεμενων, θρασυμέμνων, Ἀγαμέμνων. Cujus nominis posteriorem partem cum μένω «maneo» cohaerere, jam Plato intellexit, apud quem est in Cratylo p. 395 B: ὅτι οὖν ἀγαστός (!) κατὰ τὴν ἐπιμονὴν οὗτος ὁ ἀνήρ, ἐνσημαίνει τὸ ὄνομα ὁ Ἀγαμέμνων.

Alia autem ratione reduplicata sunt: μί-μνω pro *μι-μεν-ω, ut γί-γν-ο-μαι pro *γι-γεν-ομαι, et μιμνάζω, quod utrumque jam apud Homerum invenitur.

Atque etiam in Latino sermone, ut in Graeco radicem nostram in triplici forma reperimus: men, mon, man. Prima quidem forma exstat in Mener-va (C. J. L. 191: D. Menervai), quod ex mener- pro *menos ortum est, ut veter (Varro l. L. VII, 8) ex vetus, *vetos; quare mener — mutata s in r — Sanscrito manas et Graeco μενες respondet, ut Menerva proprie: «mente praedita» significet (cf. Corssen, Beiträge, p. 409 Pott K. Z. VI. 112 et E. F. II. 4, 102); itaque mentem ipsam designat, ut voces: «crassa Minerva,» «invita Minerva» aliae demonstrant. A Menerva- denominativum derivatum est: pro-menerv-âre, ut est apud Fest. p. 205: «Promenervat item (in Saliari carmine) pro monet.» Porro commemoranda sunt: mens, cujus prisca forma mentis est (Enn. apud Prisc. p. 764), unde: menti-ri h. e. aliquid «excogitare», «mente fingere», ementiri; et nomina: mentio, commentor (uvae ap. Ovid. Fast. 3, 785 nominatur Bacchus), commentarii, alia derivata sunt. Attenuata autem, ut ita dicam, e vocali in i orta sunt: Minerva, memini, com-miniscor, re-miniscor aliaque similia.

Tum «mon» formam praebent: monere, monitum, monumentum vel monimentum, moneta (pecunia signata), monstrum, de quo est apud Fest. p. 138: «Monstrum, ut Ael. Stilo interpretatur a monendo dictum est, velut monestrum». (cf. Corssen.: «Aussprache» etc., II. 190.) Inde: monstrare et deminutiva: mostellum, mostellaria et Mustellaria profecta sunt.

Denique «man» forma perhibetur, in: manere, mantare (saepe manere Caecil. apud Fest. p. 133), mansio, alia.

Atque in Gothica lingua pro veteris a vocalis disjunctione in hoc sermone: mun, min, man formae exstant. Sic munan,

inprimis ga-munan «putare» et munan «cogitare», «velle» (cf. μέμονα), unde Part. munda. Porro muns «cogitatio», «consilium», ga-munds «memoria», ufar-munnon «oblivisci»; i vocalis apparet in formationibus nominalibus: ana-minds «conjectura», «opinio», ga-minds «memoria», ga-minthi «memoria.»

Denique «man» forman invenimus in singulari numero illius verbi munan «cogitare», «velle», quod supra commemoravimus, et in manna «homo», gaman «socius». — Atque in Theodisca vet. lingua perhibentur: meina «opinio», meinjan «animadvertere,» «commemorare», «opinari», minna, vel minnja «memoria», «amor», minnôn, «donare, amare», mein «falsus» h. e. commentum, et subst.: «dolor», «noxa», porro: manon et manen «commonere» aliaque, quae enumerare longum est.

Atque ut in Germanicis, sic in Sloveno-Lituanicis linguis multae exstant formationes, quae a radice nostra profectae sunt. Sic in vet. Slovenica lingua formata sunt; minêti νομίζειν, απολαμβάνειν, mêniti μνημονεύειν, λογίζεσθαι, δοκεῖν, mênŭ «ratio», po-minêti μνημονεύειν, μνᾶσθαι, po-mênŭ «memoria», pomęnąnti μνημονεύειν. Porro pa-męti μνήμη, ὑπόμνησις, pamętŭkŭ «commentarii» aliaque similia. my-sli autem «cogitatio» et mysliti «cogitare» h. e. *mû-sli, ex *man-sli derivatum est. (cf. Schleicher, Compend.[3] § 84.)

Ex Lituanica autem lingua huc pertinent: manaû, manyti, quod verbum secundum Nesselmannium («Litauisches Wörterbuch» s. v.) in simplici forma inusitatum est; menù, minti «suadere», «appellare», «monere»; menas «intelligentia». Porro at-minti «cogitare», «recordari» «prospicere»; atminimas «memorią »;atmenus «memor» «gratus»; atmintis «memoria, atmintojis «monitor». — o vocalem praebent formationes: iszmona «mens», «intelligentia»; sumone «prudentia», «consilium» alia. Porro: mastis «cogitatio», mastyti «considerare», mastus «prudens» «cautus», quae a *man-stus profecta sunt, ut mustus inferioris Lituanici sermonis demonstrat. —

Atque ex radice nostra tres stirpes ortae sunt, quarum prima metathesi i. e. literis transpositis et vocali producta formata est; sic in Sanscrito sermone mnâ et in Graeco μνᾶ vel μνη; altera autem stirps adjuncta ad man rad. illa θ vel dh consona, quae in formationibus et verbalibus et nominalibus

frequentissima est, itaque μανθ et ejecto ν μαθ stirps profecta est, cui respondet in Sendica lingua madh. Nam Kuhnii sententiae (Die «herabkunft des feuers» etc. p. 16) μανθ: μανθάνειν idem esse atque Sanscritum mathnâmi, vel manthâmi vel etiam manthajâmi «commoveo», «agito», «disturbo», «diruo», ut μανθάνειν proprie significet: «an sich reissen, sich aneignen des fremden wissens» nullo modo assentiri possum; primum quod ea notionis deductio spinosa et artificiosa esse videtur (cf. Curt. Grdzge.[4] p. 337); tum autem, quod nusquam Graecum θ Sanscritae th respondet, sed dh. — Denique tertia stirps est μηνυ, quae fortasse Sanscritae «manu» in manu-she, manu-te respondet; μαίνεται vero h. e. *μαν-je-ται aptissime quadrat ad Sanscritum manjate(-ai). Quibus expositis ad singulas formationes, quae ex illis stirpibus ortae sunt, transeamus.

Sed eae non tam propagatae sunt in linguis Indogermanicis quam illae, quas supra commemoravimus. Sic mnâ stirpem nusquam Graeco sermone excepto nisi in Sanscrito invenimus, ubi mnâ, manati «commemoro», «enuntio», «laudo», «celebro» significat; conjunctum autem cum praepositionibus: anu, â, pratjâ(= prati + â), samâ, pari, similes significationes habet, tempora vero, quae dicuntur specialia, ex man rad. formantur (cf. Bopp, Scr. Gramm. Crit. § 295 et Benfey, Gramm. Scr. § 795 VI.).

Atque multo plures perhibentur formationes in Graeca lingua, velut: μι-μνήσκω Aeol. μι-μναίσκω (cf. Ahrens. Aeol. p. 96), quod ex Curtii sententia («Das Verbum der Griech. Sprache», p. 271) non denominativum, sed ex ipsa radice profectum est, cujusque antiquiorem formam *μιμνα-ί-ω fuisse veri simile est. In medio autem et μιμνήσκομαι, cui Latinum miniscor («miniscitur pro reminiscitur antiquitus dicebatur», Festus), reminiscor, comminiscor respondet, et μνά-ομαι i. e. *μνα-jομαι usurpatur. Inde multae formationes nominales emanaverunt, ut μνῆστις, μνηστήρ, μνήστωρ, μνῆστον, ἀμνηστία aliaque, in quibus σ non est «superadditum» (cf. Lobeck. Parall. p. 442) neque «inter stirpem et suffixum interpositum» (cf. Clemm. de Compos. Graec. p. 99), sed ex quodam *μνάζομαι, quod ex illo *μνά-jo-μαι profectum est. Porro multae sunt formationes nominales, quae a μ suffixo incipiunt, velut: μνήμη, μνημεῖον,

μνήμων, unde μνημοσύνη, μνημονικός alia orta sunt, quae in altera hujus dissertationis parte enumerabo.

Atque alterius stirpis «mandh», vel «madh», quam supra commemoravimus, vestigia in compluribus linguis Indogermanicis exstant. Quamquam in Sanscrita illa non invenitur; mêdh enim rad. «laedere», «occidere», «intelligere», quam Boppius (Glossar. Sanscrit. s. v.) cum Graeca μαθ comparat, minime huc posse referri puto propter vocalis auctionem (mêdh = maidh).

In Sendico vero sermone complures illius stirpis formationes perhibentur, velut mad sive madh «mederi», vimadh «curare», madha «medicina», «sapientia», madhaya «docere», vohumad «bona scientia praeditus». Porro inserta z mâ-zda «animadvertere», mâzdra «sapiens» (cf. Fick, «Wurzelwörterbuch» s. v.)

In Graeco autem sermone μανθ sive μενθ, μαθ vel producta vocali: μηθ, μαθε formas invenimus; primam quidem in μανθάνω; μενθήρη· φροντίς, μενθηρίζω· φροντίζω apud Hesychium; alteram μαθ in ἔ-μαθ-ον, μάθος apud Aesch. Ag. 185, μάθη· μάθησις apud Hesych., ἀ-μαθ-ής, ἀ-μαθ-ία; porro: προ-μηθ-ής, προ-μηθία aliisque vocabulis.

Tertia denique forma μαθε apparet in perfecto: μεμάθηκα; μάθημα, μαθητής, μάθησις similibus.

Neque dubium est, quin huc pertineant etiam Latinae formationes, ut mederi, cujus significatio eadem est atque Send. vimadh; porro: medela, medicus, medicare, remedium, quin etiam meditari (cf. μαθεῖν) alia.

Atque ex Gothica lingua huc referenda sunt: mundrei «propositum», fortasse etiam mundôn «respicere» et Theod. vet. muntar «vigil», cui respondet Slovenum mądrŭ «prudens», unde mądrinŭ «sapiens», mądristvo «sapientia» derivanda sunt, et Lituanicum mandrús, vel mundrus «vividus», màndagus «decorus» denique Lett. muftu, mudu, muft «expergisci». Num autem Gothicum ga-maud-jan «monere» et ga-maudeins «admonitio» ex mandh ortum sit (cf. Joh. Schmidt, Indogerm. Vocalism. p. 170), in dubio videtur esse.

Tertiae denique stirpis, quam supra commemoravimus: manu et in Graeco sermone vocali intermedia producta: μηνυ formationes praesenti tempore Sanscritae linguae: manve,

manu-she etc. excepto in nulla alia inveniuntur nisi in Graeca, velut: μηνύ-ω, μήνυ-μα, μήνυ-σις, μηνυτήρ, μήνυτρον aliaque similia, quae enumerare longum est.

Atque multa exstant Graecae linguae composita, quorum prior pars stirps verbalis est a radice nostra formata; quod compositorum genus in linguis Indogermanicis non tam frequens est. Sic perhibentur: μαίν-ανδρος, μεν-αίχμης, μέν-ανδρος, μεν-έγχης. Porro μεν-ε-δήϊος, μεν-ε-πτόλεμος, μεν-ε-χάρμης similia, quae omnia ex Clemmii sententia (De compos. Graec. p. 111 sqq.) in prioribus membris praesentis temporis formas habent; sed illa μεναίχμης et cetera sine vocali, quae dicitur compositiva, haec μενεδήϊος etc. vocali compositiva inserta formata sunt. Contra μνησί-θεος, μνησί-κακος, μνησί-φιλος similia ad aor. stirpem referenda esse ille censet (l. l. p. 123). Sed mihi quidem G. Meyeri (in Curt. Stud. V. p. 1—117) probabilior videtur esse sententia, qui in omnibus illis compositis nominales inesse stirpes putat nulla vocali compositiva adhibita. — Transeamus nunc ad alteram commentationis partem, quae est de significationibus.

Caput II.

De significationibus.

Cum in priore hujus dissertationes parte de variis in variis linguis radicis nostrae formis egerimus, in hac de ejus significatione tractandum videtur. Qua quidem in re id agendum est, ut, quemadmodum omnes alicujus radicis formationes quamvis variae et multiplices ad radicem primariam, quasi fontem, reduci possunt, ita illorum vocabulorum et verborum et nominum significationes quamvis discrepantes vel etiam primo quidem aspectu repugnantes ex generali radicis notione deriventur. Quamquam concedendum est hanc viam satis lubricam esse, in qua non facile est omnes conjectandi illecebras evitare, cum nondum sit, ut ita dicam, norma et regula munita. Nihilo secius Curtio, doctissimo viro, auctore (Grundz. l. c.) quomodo illae radicis nostrae significationes diversae ortae sint, exponere conemur.

Jam vidimus radicem man in omnibus linguis Indogerma-

nicis inveniri, et ubique notiones cogitandi, recordandi aliorumque id genus continere. Illae autem non rem sensibus tantum perceptam significant, quam in omnibus fere radicibus invenimus, sed abstractam sive mente perceptam. At jam supra vidimus man radicem ex ma ortam esse; quare fieri sane potest, ut in hac primitiva radice etiam notio primitiva insit, quae magis sub sensus cadat, quamque attingendi esse inveniemus. Ea enim notio non solum in Graeco μά-ρη et Latino ma-nus continetur, sed etiam in ea radice, quae σ litera amplificata est h. e.: μας, quam supra commemoravimus. Et profecto μαίομαι verbum, quod ex μας rad. ortum est, attingendi («tasten, berühren») vim habet, ut ex illius, inprimis autem compositorum ἐπι—ἐς—ἀμφιμαίομαι usu Homerico intelligi potest (cf. Leskien in Curt. Stud. II. 88). Sic de caeco Polyphemo ι 441: πάντων οἴων ἐπεμαίετο νῶτα dictum est, vel de Junone E 748: μάστιγι θοῶς ἐπεμαίετ' ἄρ' ἵππους. Praecipue autem υ 152: αἱ δὲ σπόγγοισι τράπέζας πάσας ἀμφιμάσασθε notionem attrectandi habet. Qua ex significatione concreta alia magis abstracta procreata est, quam jam apud Homerum ἐπιμαίομαι verbum habet, velut ε 344: χείρεσσι νέων ἐπιμαίεο νόστου, vel K 401: δώρων ἐπεμαίετο θυμός.

Neque dubium est, quin cum ea notione attingendi artissime cohaereat alia ma rad. significatio, dico metiendi. Nam cum antiquissimis temporibus, — de his enim agitur —, nullo alio instrumento nisi manu plana metirentur, id igitur ipsum nihil aliud erat quam attingere (cf. Crecelii libellum: Ueber die Wurzeln MA und MAN). Quibus ex notionibus primitivis ceterae ortae sunt, quas in tria genera dividere licet:

A. Primum enim ex significatione attingendi («tasten») i. e. proprio sensu, aliae, ut jam diximus, magis abstractae derivatae sunt, quae sunt: appetendi, cupiendi, cogitandi aliarumque. Et sane fieri potest, ut, quae est Pottii (E. F. l. c.) et Crecelii sententia, notio cogitandi sive comprehendendi sive intelligendi ex metiendi orta sit, ut apud nos: «messen» et «ermessen», «wägen» et «erwägen» dicitur, et in lingua Francogallica penser «cogitare» ex Latino «pensare» formatum est. Sic in Sanscrito sermone mâ «metiri» et anu-mâ «cogitare», «colligere», «concludere» significat; porro in Graeco μέδομαι,

μέδιμνος metiendi vim habent, μήδομαι, μῆδος «considerandi»; itemque in Latino: modus, modius, et modestus, moderari alia; vel etiam in Gothico: mitan «metiri» et mitôn «cogitare». Fuldae autem sententiae (Untersuchungen über die Sprache der homerischen Gedichte. Duisb. 1865. s. v. μαίνομαι), qui propterea notionem cogitandi ex metiendi derivari non vult, quod vocabula hanc notionem exprimentia specie diversa sint ab iis, quae illam contineant, nullo modo assentiri possum. Nam et in Sanscrito sermone ma-ti et abhi-mâ-ti invenimus, quae cogitandi significationem habent, et in Graeco: μήν, Jon. μείς, cujus thema «mêns» est (cf. Curt. Grundz. No. 471), porro μνασίον quod Hesychius μέτρον τι διμέδιμνον interpretatur, et in Latino mens-is et participium mens-us, quae omnia certe cum metiendi notione artissime cohaerent. Itaque et ma rad. cogitandi et man metiendi vim habet. Quamobrem nihil est, cur non ex hac notione illam procreatam esse putemus. Quamquam concedendum est id jam antiquissimis temporibus ante segregatas, ut ita dicam, linguas Indogermanicas factum esse, cum illam radicis nostrae notionem abstractam in his omnibus linguis reperiamus.

B. Deinde, jam supra vidimus, quomodo ex prensandi significatione aliae velut appetendi, cupiendi, in animo habendi similium orirentur. Appetitio autem (Graecorum ὁρμήν dico) et tranquilla sive placida i. e. considerata esse potest, et excitata sive sollicitata i. e. inconsiderata. Atque prioris generis notiones sunt, quas supra diximus, posterioris vero sunt: irascendi, furendi, divinandi similium. Recte igitur mea sententia Pictetius (K. Z. V. 325): «Es ist, inquit, gewiss ein tiefer zug in der sprache, dass diese begriffe (manju «superbia», «ira» mâna «arrogantia» mânin «superbus» alia) aus derselben wurzel fliessen, woher der mensch, manu, mânava etc., seinen namen erhält, und so grade das denken durch übermaass zum stolze und zur narrheit wird». Fuldae autem interrogatio (l. l.): «Ein amens oder demens soll der sein, der besonders dem geschäft, wovon die mens ihren namen hat, obliegt?» nullius momenti esse videtur. Primum enim fieri sane potest, ut temporis decursu voces varios significationum gradus percurrentes nonnunquam contraria denique eis exprimant, quae

illarum radix, ex qua formatae sint, designent. Cujus rei multa exstant exempla (cf. Max Müller, Vorlesungen über die wissenschaft der sprache, II. p. 270 sqq.). Tum autem notiones succensendi sive furendi non ex cogitandi vi ipsa, sed ex concupiscendi ortas esse censeo; quin autem haec cum illis cognata sit, quis est, qui dubitet? praesertim cum cupiditas inprimis negata facillime in iram converti possit. Quare unam eandemque radicem illas duas significationes continere veri simillimum est, velut rad. kup in Sanscrito sermone: kupjâmi irascendi vim habet, in Latino «cupio» appetendi. Sic etiam in Graeco idem vocabulum, dico μένος, ut infra videbimus, et impetum et iram, et animum vel mentem designat. Veteres enim cupiditatem, cogitationem, iracundiam similesque notiones ex uno quasi fonte derivabant, ex mente. Cujus rei testis est Ciceronis locus in Tusculanarum libro I. (c. 10, 22), ubi falso quidem Aristoteli tribuitur, quae Stoicorum erat sententia. «Aristoteles, inquit Cicero, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit *mens*. Cogitare (cf. μέμονα) enim et providere (cf. μάντις, μαντεύεσθαι) et discere (cf. μανθάνειν) et docere et invenire (cf. ἐκμαίομαι) aliquid et tam multa alia, meminisse (cf. μέμνημαι) amare (cf. μνάομαι), odisse, cupere (cf. μάομαι) timere, angi laetari: haec et similia eorum in horum quattuor generum (sc. στοιχεῖα) inesse nullo putat. Quintum genus adhibet» etc. Quae cum ita sint, nihil habet offensionis, notiones succensendi vel furendi ex concupiscendi derivare.

Quodsi hic ex notione abstracta ea profecta est, quae sub sensum cadat, id etiam in alia significatione, quae radici nostrae subjicienda est, factum esse apparet. Nam dubium non est (cf. Curt. Grundzge[4] p. 101 et Pott. E. F. l. l.), quin notiones permanendi et perseverandi, quae insunt in Graeco μένω, Latino maneo, Bactrico man, upaman et framan ex cogitandi et considerandi ortae sint, quae animi cunctationem indicant ab omni temeritate alienam. Quae derivatio Crecelio (l. c.) contorta esse videtur, nec certam habere analogiam. Quare ipse duas radices man esse putat, quarum altera «cogitare», altera «manere» significet, et hanc Semitico: אָמַן «firmum, fidum esse», «credere» respondere, cujus radix: מן sit; quod minime constat.

Sed id credat, cui lubet. De analogia vero jam vidimus notionem manendi non solum in sermone Graeco et Latino sed etiam in Bactrico vet. in man rad. inesse; porro in Persico vet., ubi tertia imperfecti temporis persona: amânaya idem significat atque Graecum ἔμενε, et in Curdico: mìnum mìnit

ue
ım
a»
ıa
λ-
.).
.),
ıs
ì:
»,
ii

di
is
n
ı-
n
n
;-
;-
ί-
n
e
:

Denique si recordatio alicujus rei ab alio homine in nobis efficitur, eam certe cohortationem habemus. Sic ex reminiscendi notione monendi orta est, ut id ipsum monendi verbum a *manaja stirpe h. e. facere, ut quis cogitet, derivandum est. Cf. etiam Graecum Μέν-τωρ, quod est «monitor». Monendi autem vis in indicandi et pronuntiandi amplificata est, quae in illa continentur.

Quodsi ea, quae longius exposuimus breviter complectimur,

S.

Babad (Jonas).

3'

De graeca radice man (italics) cognatarum
82532 linguarum ratione habita. Disserta-
(1875) tio inauguralis. 40 pp. 1 l. 8°.
Vratislaviae, typis F. W. Jungferi 1874.

S

ub

illarum radix, ex qua formatae sint, designent. Cujus rei multa exstant exempla (cf. Max Müller, Vorlesungen über die wissenschaft der sprache, II. p. 270 sqq.). Tum autem notiones succensendi sive furendi non ex cogitandi vi ipsa, sed ex concupiscendi ortas esse censeo; quin autem haec cum illis co-

gn
pr
ea
m
ir
G
in
er
ex
C
q
«
es
(
i
(
t
g
a
s

s
s
(
]

maneo, Bactrico man, upaman et naman ex cogitandi et considerandi ortae sint, quae animi cunctationem indicant ab omni temeritate alienam. Quae derivatio Crecelio (l. c.) contorta esse videtur, nec certam habere analogiam. Quare ipse duas radices man esse putat, quarum altera «cogitare», altera «manere» significet, et hanc Semitico: אָמַן «firmum, fidum esse», «credere» respondere, cujus radix: מן sit; quod minime constat.

Sed id credat, cui lubet. De analogia vero jam vidimus notionem manendi non solum in sermone Graeco et Latino sed etiam in Bactrico vet. in man rad. inesse; porro in Persico vet., ubi tertia imperfecti temporis persona: amânaya idem significat atque Graecum ἔμενε, et in Curdico: mìnum mìnit «restare, remanere», et in Armenico: mnal «restare» aliisque linguis Asiaticis (cf. Pott. E. F. II. 4, p. 95 et 119). Tum autem non dubium esse videtur, quin Latina vocabula «mora» et «memor» ex eadem radice smar «cogitare» orta sint, e qua non solum μέρ-ιμνα sed etiam ρ in λ mutato μέλλω h. e. μέλ-jω profectum esse veri simillimum est (cf. Curtium, l. c.). Denique in Sanscr. sermone rad. dhî perhibetur (cf. P. W. s. v.), quae «videri», «*animadvertere*» significat; cum praepositionibus autem conjuncta, ut: abhi: «considerare», «cogitare»; anvâ: «meminisse»; denique prati: «*exspectare*» et vi: «*cunctari*», «morari». Quae cum ita sint, nihil est, cur non Curtii, Pottii aliorumque derivationi illius manendi notionis assentiamur.

C. Tertium denique significationum genus est recordandi et commemorandi, quae, ut supra vidimus, in omnibus linguis Indogermanicis inveniuntur, partim in ipsa man rad., partim ut in Sanscrito et Graeco sermone in ea forma, quae metathesi efficitur: mnâ. Et profecto in reminiscendi vi etiam cogitandi continetur, cum illud nihil aliud sit, quam ea in memoriam revocare, quae jam mente perceperimus; quare recordatio cogitatio altera appellari potest, ut in Platonis Phaedone (p. 729) de discendo est: ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὖσα. Et hac in re comparari potest nostrum «danken» h. e. gratum et memorem esse beneficiorum, quae quis acceperit, et «denken» cogitare, itemque in Gothica lingua: thagkjan «considerare» et thagka (N. thagks) «gratia».

Denique si recordatio alicujus rei ab alio homine in nobis efficitur, eam certe cohortationem habemus. Sic ex reminiscendi notione monendi orta est, ut id ipsum monendi verbum a *manaja stirpe h. e. facere, ut quis cogitet, derivandum est. Cf. etiam Graecum Μέν-τωρ, quod est «monitor». Monendi autem vis in indicandi et pronuntiandi amplificata est, quae in illa continentur.

Quodsi ea, quae longius exposuimus breviter complectimur,

tria sunt significationum genera, quae in man rad. ejusque determinativis insunt. Primitiva autem notio est attingendi (tasten), cui par est metiendi vis. Quibus ex significationibus procreatae sunt hae:

A. a) appetere, cupere, consectari,
b) meditari, excogitare.
B. a) succensere, furere, vaticinari,
b) manere, perseverare.
C. a) reminisci, commemorare, adhortari,
b) indicare, pronuntiare.

Atque eo significationum ordine omnes Graecae linguae formationes, quae ex radice nostra derivandae sunt, in insequenti hujus dissertationis parte exponam.

Caput III.

De Graecae linguae formationibus verbalibus et nominalibus ex MAN radice ortis.

Atque ut jam identidem monuimus, primitiva rad. nostrae significatio est attingendi, quare non ineptum esse videtur, formationes, quae huc pertinent tractare; hae autem sunt:

μάρη manus, ut est in schol. Ven. et Lips. ad Il. O 137: μάρη ἡ χεὶρ κατὰ Πίνδαρον, ὅθεν καὶ εὐμαρής. Itaque μάρη a tangendo ut χείρ et δάκτυλος, quorum illud ab har rad. hoc a δεκ(δεχ) derivatum est, a capiendo dictum est. — Compositum vero εὐμαρής idem significat atque εὐχερής h. e. quod ad manum est («zur hand ist») itaque «facile»; sic in formula: εὐμαρές ἐστί τινι, velut apud Pind. Pyth. 3, 205: παύροις δὲ πράξασθ' εὐμαρές, sive apud Theognidem (845 Bgk): εὖ μὲν κείμενον ἀνδρὶ κακῶς θέμεν εὐμαρές ἐστιν. Porro εὐμαρής significat «facile tribuens vel largiens;» sic in Soph. Elect. 179 Dind. de tempore dictum est: χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός. Inde εὐμάρεια derivatum est «agilitas,» «dexteritas,» ut in Eurip. Bacch. 1128: ἀλλ' ὁ θεὸς εὐμάρειαν ἐπεδίδου χεροῖν. Atque etiam in passiva notione accipitur, ut commoditatem sive opportunitatem designet, ut in Soph. Trach. (193): οὐκ εὐμαρείᾳ χρώμενος πολλῇ, γύναι, ubi Schol. adnotat: οὐκ ἔστιν αὐτῷ (sc. Herculi) εὐχερὲς παραγενέσθαι. Atque huc pertinent, ut jam vidimus, verbi μαίομαι composita:

ἐπὶ-ἐς-ἀμφιμαίομαι; ex primo autem verbo formatum est participium: ἐπίμαστος, ut apud Hom. υ. 377: τοῦτον ἔχεις ἐπίμαστον ἀλήτην, cui oppositum est, ut Düntzerus (K. Z. XIV. p. 197 sqq.) recte animadvertit T 263, ubi de Briseide sermo est: ἀλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστος ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῇσιν i. e. integra, intacta, intaminata; ἐπίμαστος vero «manibus contrectatum et inde contaminatum» designat. Veterum autem grammaticorum hujus vocabuli interpretatio τροφὴν ματεύων vel ἐπίληπτος idcirco falsa est, quod et τροφή vocabulum illo loco desideratur, neque mendicus appellari potest: «in via quaesitus,» cum in quaerendi notione consilium insit. (Cf. Leskien in Curt. Stud. II. p. 89.) Atque ἐςμαίομαι apud Homerum metaphorice usurpatur, ut Achilles de Hectore dicit: Υ 425: ἐγγὺς ἀνήρ, ὃς ἐμόν γε μάλιστ' ἐςεμάσσετο θυμόν, quod respondet nostro: «das herz rühren.»

A.

Jam transeundum est ad primam significationum classem, cujus prior pars est:

a) inquirere, investigare, appetere, cupere similia. Atque huc referenda sunt: μάομαι sive μῶμαι «quaero» Theogn. 771. Bg.: ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι; itaque Hesychius μώμεθα· ζητοῦμεν explicat. Inde formatum est μα-το-in αὐτόματος, quod non «per se ipse animatus» (selbstgesinnt) significat (cf. Benfeyi Gr. Wurzellexicon p. 34), sed «sponte petens» «von selbst strebend, wollend» i. e. «spontaneus,» ut sit compositum, quod dicitur determinativum vel karmadhâraja, ut αὐτόρρυτος, αὐτόσσυτος alia. Illo autem sensu αὐτόματος jam apud Homerum usurpatur, ut E 749: αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ vel Σ 376, ubi sermo est de mensis tripedibus artificiose factis: ὄφρα οἱ αὐτόματοι θεῖον δυσαίατ' ἀγῶνα. — Inde ortum est: αὐτομάτην «ultro», αὐτοματία «fortuna» Plut. Timol. c. 36. αὐτοματίζειν «casu aliquid facere» Xenoph. Cyrop. 5, 21 alia. Porro: ἠλέματος eum, cujus studium demens est (ἠλὸς) designat, i. e. dementem, insanum, ut apud Theocr. 15,4: ὢ τᾶς ἀλεμάτω ψυχᾶς. A ματο-autem derivatum est: ματέω et Aeol. μάτημι «quaero, studeo», ut apud Theocr. 29, 15: ἐξ ἑτέρω δ' ἕτερον μάτης et apud Hesych. ματεῖ· ζητεῖ. A*ματευ = ματο ortum est: ματεύω «quaero,» ut in Il. Ξ 110: ἐγγὺς ἀνὴρ οὐ

δηθὰ ματεύσομεν, studendi vim invenimus in Pind. Ol. 5, 56: μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι. Porro commemoranda sunt: μάτος, quod Hippocrati ἡ ζήτησις est, et ματήρ· ἐπίσκοπος, ἐπιζητῶν, ἐρευνητής apud Hesych. et inde ματηρεύειν· ζητεῖν apud eundem. Tum huc referenda sunt: μαίομαι, ut apud Homerum I. 394: Πηλεὺς — γυναῖκά γε μάσσεται αὐτός, quae est Bekkeri lectio secundum Aristarchum, vel ν 367: μαιομένη κευθμῶνας ἀνὰ σπέος h. e. quaerens. In compositis vero non solum attingendi, sed etiam inquirendi, investigandi, inveniendi notiones continentur. Sic in hymn. Hom. in Merc. 511: αὐτὸς δ' αὖθ' ἑτέρης σοφίης ἐκμάσσατο τέχνην, h. e. invenit, et in Odyssea ε 344: ἀτὰρ χείρεσσι νέων ἐπιμαίεο νόστου i. e. appete, vel κ 401: μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμός, et apud Pindarum Nem. 3, 41, ubi est de aquila: τήλοθε μεταμαιόμενος i. e. contendens ad praedam (ἄγραν). — Atque nominales formationes sunt: μάσμα «investigatio» ut in Plat. Cratyl. p. 421, A: ἐνταῦθα γὰρ σαφῶς λέγει τοῦτο εἶναι ὄν, οὗ μάσμα ἐστίν. — μαστήρ «investigator», ut in Soph. Trach. 733: μαστὴρ πατρός, ὃς πρὶν ᾤχετο, et apud Suidam μαστῆρες· ὡς οἱ ζητηταὶ καὶ οἱ ἐν Πέλλῃ μαστροί.

μάστειρα «investigatrix» ut in Aesch. Suppl. 163: μῆνις μάστειρ' ἐκ θεῶν.

μαστήριος «investigator» Aesch. Suppl. 920: Ἑρμῇ μεγίστῳ προξένῳ μαστηρίῳ.

μαστεία «indagatio,» vocabulum ab Olympiodoro fictum in Plat. Alcib. p. 192: διττὴ ἡ μαντεία, ἡ μὲν θεία . . . . . ἡ δὲ τεχνική, ἥτις μαστεία λέγεται. Denique: μαστρὶαι· αἱ τῶν ἀρχόντων εὔθυναι ap. Hesych.

Atque ex stirpem μαστευ (= μαστο-ut in ἐπί-μαστο-ς) derivatum est: μαστεύω, quod «quaerere» significat, ut in Eur. Hel. 597: Μενέλαε, μαστεύων σε κιγχάνω μόλις. Inde appetendi vis orta est, ut apud Pind. Ol. 3, 106: χρὴ τὰ ἐοικότα παρ' δαιμόνων μαστευέμεν. A quo verbo nomina formata sunt haec:

μάστευσις «indagatio» Archimed. Spir. p. 81 C: οὐχ ἱκανὸν εἰς τὰν μάστευσιν αὐτῶν. μαστευτής «investigator» in Xenoph. Oec. 8, 13: οὔτε μαστευτοῦ δεῖται. — μάστευμα «quaestio» ap. Photium.

Denique huc referendum est: μέμονα, quod ut Latinum «memini» praesentis temporis vim habet: «studeo,» «cupio,»

«in animo mihi est,» «volo» alia; sic jam apud Homerum usurpatur, ut H 36: πῶς μέμονας πόλεμον καταπαυσέμεν ἀνδρῶν; i. e. «studes, vis, cogitas;» vel Ω 657, ubi Achilles Priamum interrogat: ποσσῆμαρ μέμονας κτερεϊζέμεν Ἕκτορα δῖον; Atque studendi vim habet Φ 315, ubi est de Achille: μέμονεν δ' ὅ γε ἶσα θεοῖσιν. — Easdem autem significationes atque μέμονα habet: μενοινάω, ut β 275: οὐ σέ γ' ἔπειτα ἔολπα τελευτήσειν ἃ μενοινᾷς i. e. quae in animo tibi sunt («im sinne hast»); et cupiendi vim habet κ 101: μή πως καὶ διὰ νύκτα μενοινήσωσι μάχεσθαι. Quare Hesychius μενοίνησε· προεθυμήθη et μενοινής· πρόθυμος, φροντιστής explicat. Transeamus nunc ad alteram hujus classis partem, quae continet:

b) meditandi, excogitandi notiones. Atque huc referenda sunt:

μῆτις «mens,» «prudentia,» «ratio,» quo sensu jam apud Homerum saepissime usurpatur, inprimis in formula: Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος. Tum consilium et dolum significat, ut Sanscritum abhi-mâti; quare jam ibidem μῆτιν ὑφαίνειν dicitur, ut in Latino sermone «dolos consuere,» «dolum nectere.» Atque huc adnumeranda sunt multa composita, quae attributiva vel bahuvrîhi dicuntur, in τη-ς suffixum exeuntia, velut: ἀγκυλομήτης, δολομήτης, ποικιλομήτης et ex nomine formatum: πολύμητις, quae jam apud Homerum inveniuntur, porro: αἰπυμήτης apud Aeschylum et βαθυμήτης apud Pindarum. Ex nominali autem stirpe μητι- derivata sunt: μητιάω «consulto, cogito,» et μητίομαι; utrumque jam apud Homerum saepe usurpatur, ut: κακὰ μητιόωσα et μητίσομαι ἔχθεα λυγρά Γ 416. Eandem autem significationem habent composita: ἐπιμητιάω (Apoll. Rhod. 3,668) et συμμητιάομει «una deliberare et consultare» κ 197. Porro a μητι- derivanda sunt: μητιόεις adjectivum «doli plenus» ut δ 227: φάρμακα μητιόεντα, et μητίετα, Iovis cognomen apud Homerum, quod Hesych. βουλευτής et Suidas βουλευτικός explicat (cf. L. Meyer Bemerkungen zur ältest. Geschich. der Griech. Mythol. p. 9). Aliter autem hoc vocabulum Pottius (E. F. II. 4, p. 98) interpretatur. Formatum enim id esse censet ex μητι-et ἵημι, ut sit nostrum: «rathsender,» quam interpretationem etiam Ameisius ξ 243 recepit. Sed illa de Iove opinio ab Homeri ingenio alienissima esse videtur. Nec magis arridet Froedii de hoc

vocabulo sententia (K. Z. XII, 160), qui id ex μητι-et ἔτης compositum esse putat, et vocabulum «rathpfleger» vertendum esse, ut Lat. suesco a sve rad. Sed ea nullam probabilitatem habent, potius acquiescemus in veterum grammaticorum hujus vocabuli explicatione; formatum autem vocabulum est a μητι-stipe: μητί-ε-τα, ut ἀ-τί-ε-τος a τι rad.; de accentu vero μητίετα (cf. ἱππότα, ἱππηλάτα alia) vide, quae disseruit Ameisius ω 10 (Krit. und exeget. Anhang). — Denique huc pertinent nonnulla Hesychii glossemata: μήτεα· μητίματα, ἀγκυλομήτεω· σκολιὰ βουλευομένου, δολομήτεω· δολιὰ βουλευομένου, θεομητεῖ· θεοφορεῖται, θεῖα φρονεῖ.

Neque dubium est, quin μένος, cujus primitiva quidem significatio «impetus» est, ut infra videbimus, tamen interdum et jam apud Homerum quidem abstractam vim habeat (cf. Fuldae Hom. Untersuchungen p. 228), ut vertendum sit: «geist, seele, sinn»; velut Ω 6: Πατρόκλου ποθέων ἀδροτῆτά τε καὶ μένος ἠΰ, sic in aliquo fragmento Empedoclis; ἄξεις δ' ἐξ ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός. Porro abstractam vim habet in Θ 361, ubi Minerva de patre suo Junoni: σχέτλιος, inquit, αἰὲν ἀλιτρός, ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς i. e. qui consilia mea perfringit. Praecipue autem illa abstracta vis in compositis apparet ex μενες stirpe formatis. Sic in εὐμενής h. e. «bene animatus» et δυςμενής «male animatus»; quare illud «benignum» sive benevolum ut de Neptuno est in hym. Hom. XXII. 7: εὐμενὲς ἦτορ ἔχων, hoc «hostilem» significat, ut saepissime apud Homerum δυςμενέες ἄνδρες idem est atque «hostes». Itaque in ea significatione Graecum μένος Latino vocabulo: mentis sive mens respondet. Sic enim in Latino sermone «mala mens,» et «mens animi» apud Plautum, vel apud eundem Amph. 2, 2, 34: «quid tibi istud in mentem venit» (was kommt dir in den sinn) aliaque ejusmodi dicuntur. — Atque ad εὐμενής et δυςμενής complures formationes et verbales et nominales pertinent. Sic εὐμενέω «benevolus sum» et εὐμενίζω «placo, benevolum reddo» apud Xenoph. (Cyrop. III, 3, 22), quod ex Εὐμενίδ-ες ortum esse censeo. — Id autem Furiarum nomen, ut est in Schol. ad Eur. Orest. 316: Εὐμενίδες κατ' εὐφημισμόν, δυςμενίδες γάρ εἰσι κατὰ τὸν ὀρθὸν καὶ ἀληθῆ λόγον, comparari potest cum Indorum denominatione daemonum: rakshas vel râkshasas a raksh rad.,

quae «servare» significat. — Porro commemoranda sunt: εὐμένεια (= εὐμενε(σ)-ια) «benevolentia,» εὐμενῶς, εὐμενέτης amicus, εὐμενικός alia; ad δυςμενής autem spectant δυςμεναίνω «inimicor,» ut in Eur. Med. 874: δυςμεναίνω τοῖσι βουλεύουσιν εὖ. Porro: δυςμενέων (β 72), δυςμένεια, δυςμενέτης, δυςμενικός, δυςμενίδης alia. Porro huc pertinere videtur: μενοινή, quod vocabulum primum in Apollonii Rhodii Argon. I. 814 invenitur: ἀλλ' οὔ σύ γε τήνδε μενοιμὴν σχήσεις, ubi Schol. interpretatur: γνώμην, διάνοιαν, μέριμναν; et apud Hesych.: μενοίνας· φροντίσας explicatur. — Denique etiam μενο-εικής, ut μένος ipsum abstractam vim habet; quod compositum saepissime apud Homerum cum δαίς, δεῖπνον, ἐδωδή, οἶνος aliisque vocabulis conjunctum est; significat enim: «voluntati sive appetitui conveniens» vel: ei cedens (cf. Curt. Grundzüge[4] p. 648) h. e. «largus,» sive «sufficiens.»

Atque ex meditandi notione discendi vim ortam esse veri simillimum est, cum discere fere nihil aliud sit, quam mente percipere. Et profecto in Vedis rad. man etiam «discere» significat (cf. Benfey. Chrestomathie in Glossar. s. v.). Itaque verbum μανθάνειν huc esse referendum puto; si vero respexeris aoristi temporis μαθεῖν vim esse intelligendi sive animadvertendi, ut apud Pind. Ol. 9, 115: ὥστ' ἔμφρονι δεῖξαι μαθεῖν Πατρόκλου βιατὰν νόον, ubi Schol. interpretatur: γνῶναι, ὅτι γενναῖος ἦν ὁ Πάτροκλος, vel in Aesch. Prom. 273: ὡς μάθητε διὰ τέλους τὸ πᾶν, non solum forma sed etiam sensu μαθ stirpem Latino «meditari,» Gothico mundrei «consilium» Slovenico mądrŭ ceteris respondere invenies. Huc accedunt Hesychii glossemata: μενθήρη· φροντίς, μέριμνα. μενθήραις· μερίμναις. μενθηριῶ· μεριμνήσω, διατάξω, quae satis demonstrant etiam in μαθ stirpe meditandi notionem inesse. Atque μανθάνειν non solum «discere» sed etiam «docere» significat, ut apud Eustath. p. 1883: μανθάνειν γράμματα, quod apud sophistas usitatum esse dicit. Denique ex discendi notione orta est consuescendi, ut interdum apud nos: «lernen» usurpatur, et in Ebraïco sermone: לָמַד «discere» et «consuescere» significat (cf. Jerem. 2, 24). Sic solendi vim invenimus in Xenoph. Anab. III, 2, 25: ἂν ἅπαξ μάθωμεν ἀργοὶ ζῆν· quare τὸ μεμαθηκός «solitum,» «consuetudo» est apud Hippocratem. Neque aliam vim habent composita

ac simplex verbum μανθάνειν. Sic ἀναμανθάνειν «indagare», «perquirere» designat, ἀπομανθάνειν «dediscere», ἐκμανθάνειν «perdiscere et exquirere», ἐπιμανθάνειν «addiscere». καταμανθάνειν autem «perspicere», «intelligere» est, et «explorare», «observare», ut apud Herodot. 7, 146: οἱ δὲ ἀπικόμενοί τε ἐς Σάρδις καὶ καταμαθόντες τὴν βασιλέος στρατιάν. προμανθάνειν vero est: «in discendo proficere,» ut Soph. Phil. 538: ἐγὼ δ' ἀνάγκῃ προὔμαθον στέργειν κακά, denique μεταμανθάνειν est: «dediscere» et «desuescere,» ut apud Herodot. I, 57: τὸ Ἀττικὸν . . . . . τὴν γλῶσσαν μετέμαθε.

Atque complures sunt formationes nominales. Sic perhibetur: μάθη «cognitio,» «scientia» apud Empedocl. v. 101 ed. Stein: μάθη γάρ τοι φρένας αὔξει. — μάθος idem, ut in Aesch. Agam. 177: τὸν πάθει μάθος θέντα κορίως ἔχειν. — μάθημα «studium,» «disciplina» «scientia,» quod saepissime in oratione soluta et ligata usurpatur. Pluralis autem numerus inde a Platone disciplinas sive artes mathematicas significat. Inde formatum est: μαθηματικός «disciplinarius,» «discendi cupidus,» ut apud Aristot. Metaph. 1 (init.) καὶ διὰ τοῦτο (τῶν ζώων) τὰ μὲν φρόνιμα, τὰ δέ μαθηματικώτερα. Tum est: «mathematicus» Aristot. Eth. 6, 8: διά τι μαθηματικὸς μὲν παῖς γένοιτ' ἄν, σοφὸς δ' ἢ φυσικὸς οὔ; inde derivatum est: μαθηματικεύεσθαι «mathematicam tractare» Doxopater in Walz. Rhett. Gr. vol. 2, p. 132, 2: φυσιολογεῖ ἢ θεολογεῖ ἢ μαηματικεύεται. — Porro: μαθητής «discipulus,» vocabulum usitatissimum. Inde, vel rectius a *μαθητευ-stirpe derivata sunt: μαθητεύω «discipulus sum» Plut. mor. p. 837 C de Isocrate loquens: ἐμαθήτευσε δ' αὐτῷ καὶ Θεόπομπος ὁ Χῖος, et desiderativum: μαθητιάω (μαθεῖν ἐπιθυμῶ apud Suidam) «discipulus esse cupio», ut in Aristoph. Nub. 183: δεῖξον ὡς τάχιστά μοι τὸν Σωκράτη· μαθητιῶ γάρ. — Tum μάθησις «cognitio,» «scientia» Soph. El. 1032: ἀλλὰ σοὶ μάθησις οὐ πάρα. Quare μάθησιν ποιεῖσθαί τινος «rationem habere alicujus rei» significat, ut apud Thucyd. I, 68: οὐ περὶ ὧν ἐδιδάσκομεν ἑκάστοτε τήν μάθησιν ἐποιεῖσθε. Tum eruditionem designat ut apud Xenoph. Cyrop. III, 3, 53, et consuetudinem, ut μανθάνειν cf. Hippocrat. 593, 8. — Porro perhibentur: μαθητός Xen. Cyrop. I, 6, 23: ὅσα ἀνθρώποις μαθητά, et μαθητέον in Aristoph. Vesp. 1262. μαθήτρια «discipula» apud Diodor. 2, 52: τὰς τέχνας μαθητρίας γενομένας τῆς φύσεως, et apud Suidam: μαθητία· ἡ μάθησις.

Atque permulta sunt composita nominalia ex stirpe μαθ formata, quorum nonnulla affero: ἀμαθής «rudis», «indocilis», ἀμαθία «inscitia», ἀμαθαίνω «in ignorantia versor»; δυσμαθής, δυσμαθέω. Porro: ἐπιμηθής, cui oppositum est: προμηθής et προμηθεύς «providus,» «cautus;» unde προμηθέομαι «prospicere» Herodot. 2, 172 et προμήθεια «prudentia,» «consilium» apud eund. III, 36: ἀγαθόν τι πρόνοον εἶναι, σοφὸν δὲ ἡ προμήθεια. Denique: μεταμήθεια· μετάνοια apud Hesychium.

Atque inter omnes fere constat etiam Μοῦσα nomen ex meditandi et cogitandi notione profectum esse, ut jam supra vidimus. Significat autem Μοῦσα carmen quoque, ut in Aesch. Suppl. 695: εὔφαμον δ' ἐπὶ βωμοῖς μοῦσαν θείατ' ἀοιδοί, vel apud Soph. Trach. 643: θεῖα μοῦσα dicitur, i. e. carmen sacrum; sic etiam in Sanscrito sermone, inprimis in Vedis mati «carmen» et mantra «hymnus» est, i. e. cogitatione ortum: excogitatum. — Denique inde a Platone μοῦσα artem musicam, vel in universum artes liberales, humanitatem, doctrinam, praecipue autem philosophiam designat, ut in Plat. Rep. 6, p. 499 D: ὅταν αὕτη ἡ μοῦσα τῆς πόλεως ἐγκρατὴς γένηται i. e. philosophia. Inde multae formationes et verbales et nominales derivatae sunt, ut: μουσόω, quod et «numeris modulisque musicis exornare,» et «erudire» significat Aristoph. Lysistr. 1127: ἀκούσασ' οὐ μεμούσωμαι κακῶς. — μουσίζειν et Lacon. μουσίδδειν «fidibus canere» Theocr. 11, 89. μουσίζεσθαι autem est: «vocem, clamorem emittere,» ut in Eurip. Cyclop. 489: ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος. Atque formationes nominales sunt: μούσειος ut in Eur. Bacch. 408: Πιερία μούσειος ἕδρα. — μουσεῖον «locus musis et studiis dicatus» cf. Plat. Phaedr. p. 278 B: καταβάντες ἐς τὸ Νυμφῶν νᾶμά τε καὶ μουσεῖον ἠκούσαμεν λόγων. — Μουσεῖα, τά «dies festi in honorem Musarum» Paus. 9, 31, 3: ἑορτὴν ἐνταῦθα οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα. — μουσαῖος autem «musicus» est, cf. Cram. Anecd. vol. III, p. 215. 27. — Denique μουσικός «canorus,» «canendi peritus,» et μουσική, qua non solum musica, quae proprie dicitur, sed tota ἐγκύκλιος παιδεία significatur, ut est apud Hesychium: μουσικήν· πᾶσαν τέχνην οἱ Ἀττικοί, et apud Aristoph. Vesp. 1244: ἀνὴρ σοφὸς καὶ μουσικός dicitur. Latiori autem significatione: «concinnus», «scitus» «politus» est, cf. Plut. mor. p. 35 D. — Tum μουσικῶς in

Plat. Prot. p. 333 A.: οὗτοι οἱ λόγοι ἀμφότεροι οὐ πάνυ μουσικῶς λέγονται i. e. «concinne»; et μουσίκτης· μουσικός, ψάλτης, τεχνίτης apud Hesychium. — Atque complura perhibentur composita, quae ex μουσο-themate formata sunt, ut: ἄμουσος «rudis,» «impolitus», idem significat: δύς-μουσος. Porro: εὔμουσος, παράμουσος in Aesch. Choëph. 467; μουσοποιός, ut Sappho ab Herodoto II, 135 appellatur; μουσόδομος in Anth. Pal. 9, 250, 4 aliaque similia, quae enumerare longum est.

B.

Transeundum nunc nobis est ad alteram significationum classem, cujus prior pars est:

a) «succensere,» «furere», «divinare.» Sed cum eae notiones, ut jam vidimus, ex concupiscendi et vehementer contendendi ortae sint, has primum hic esse tractandas censeo. Quae significationes apparent in: μέμαμεν, quod tantum in duali et plurali numero usurpatur. Significat enim studiose aliquid cupere, contendere, et saepissime apud Homerum adhibetur, inprimis autem participium μεμαώς, ut K. 339: βῆ ῥ' ἀν' ὁδὸν μεμαώς i. e. «properans», vel B. 818: μεμάοτες ἐγχείῃσιν h. e. «irruentes», vel denique O 83: κραιπνῶς μεμαυῖα διέπτατο πότνια Ἥρη. Atque eandem vim habet: ἐμμεμαώς, ut Υ 284: αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ἐμμεμαὼς ἐπόρουσεν. Porro: μαιμάω «valde cupere,» «saevire» ut E. 760: μαίμησε δέ οἱ φίλον ἦτορ, vel N 75: μαιμώωσι δ' ἔνερθε πόδες καὶ χεῖρες ὕπερθεν. Quare apud Hesychium est: μαιμᾶν· ὀρέγεσθαι, ἐπιθυμεῖσθαι, et: μαιμάσασα· οἰστρήσασα. — Atque idem significat: μαιμάσσω Bianor in Anthol. Pal. 9, 272, 6: ἔφθανε μαιμάσσων λαοτίνακτον ὕδωρ. — Formationes autem nominales sunt: μαιμάκτης, Jovis cognomen, «furore percitus,» quod Harpocrat. ex Lysimachide de mensib. Atheniens. ἐνθουσιώδης καὶ ταρακτικός explicat. Contraria vero illius vocabuli significatio apud Hesych. est: μαιμάκτης· μειλίχιος, καθάρσιος, cum quo facit Plut. mor. p. 458 B.: διὸ καὶ τῶν θεῶν τὸν βασιλέα μειλίχιον, Ἀθηναῖοι δὲ μαιμάκτην οἶμαι καλοῦσι. Sed cf. Prellerum (Griech. Mythol. I,[2] 112). Porro: μαιμακτηριών, quintus apud Athenienses mensis, ἀπὸ τοῦ Διὸς μαιμάκτου (apud Harpocr.); et μαῖμαξ· ταραχώδης apud Hesych. et: μαίμακον· τὸ χαλεπόν καὶ δύσμαχον in Phot. lex. 241, 14. —

Porro huc pertinet: μέμονα, quod interdum concupiscendi vim habet, ut Π 435: διχθά δέ μοι κραδίη μέμονε, vel apud Eur. Iph. Taur. 655: ἔτι γὰρ ἀμφίλογα δίδυμα μέμονε φρήν, inprimis autem: ἐμμέμονα, ut apud Sophocl. Trach. 982: ἐπί μοι μελέῳ βάρος ἄπλετον ἐμμέμονεν φρήν, ubi Schol. interpretatur: ἐφορμᾶται, ἐνθουσιᾷ. — Tum μενεαίνω, quod «impetu quodam animi ad aliquid concitari» significat, ut Ο 507: ὃς δὴ νῆας ἐνιπρῆσαι μενεαίνει, vel Π 491, ubi de Sarpedone est, qui a Patroclo interfectus est: ὣς ὑπὸ Πατρόκλῳ . . . . . . κτεινόμενος μενέαινε h. e. flagrabat desiderio ulciscendi sui (cf. Faesium ad h. l.). Nominales autem hujus stirpis formationes sunt, quae huc pertinent: μένος, quod usu quidem Homerico duas notiones primarias praebet: «impetum» («drang» cf. Naegelsbach. Hom. Theologie[2] p. 392) ejusque «sedem.» De priore significatione cf. locos Homericos, ut Ψ 468: μένος ἔλλαβε θυμόν, vel E 136, ubi est de Diomede: καὶ πρίν περ θυμῷ μ ε μ α ὼ ς Τρώεσσι μάχεσθαι, δὴ τότε τρὶς τόσσον ἕλεν μ έ ν ο ς. Atque ex hac significatione orta est notio fortitudinis, ut Θ 387: εἰ μὴ νὺξ ἐλθοῦσα διακρινέει μένος ἀνδρῶν, vel formula: μένεα πνείοντες Ἀχαιοί. Quare μένος etiam vim et robur significat, ut N 60: ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν, et voces: μένος καὶ θυμός, sive μένος καὶ θάρσος vel Z 265: μὴ . . . . μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι satis demonstrant. Quare ut βίη et ἴς cum genetivo personae pro persona ipsa usurpatur, dico voces, ut: ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο i. e. validum et integrum robur Alcinoï. Atque ut in Latino sermone: mentem addere alicui dicitur, ut apud Hor. Serm. II, 2, 36: «quae timido quoque possint addere mentem,» sic in Graeco: μένος ἐντιθέναι, ἐμπνεῖν, ut Φ 145. Et hoc sensu non solum de hominibus et animalibus, sed etiam de rebus usurpatur; sic de animalibus, P 20: οὔτ' οὖν παρδάλιος τόσσον μένος οὔτε λέοντος, et N 444 de hasta; vel in Solonis frgm. 9, 1: ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης. — Alteram autem significationem invenimus in: μένος χειρῶν, μένος καὶ χεῖρες, μένος και γυῖα, quod utrumque ἓν διὰ δυοῖν habendum est. Certa autem illa animi h. e. μένους sedes aqud Homerum non est, quare modo: μένος ἐνὶ θυμῷ, ἐνὶ στήθεσσι, ἐν γούνασι, vel A 103: μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι πίμπλαντ' aliaque ejusmodi dicuntur. — Priori autem sensu multa composita illius vocabuli μένος exstant. Sic ἀμενής «imbecillus, «debilis» in Eur. Suppl. 1116: ἀμφίπολοι

γραίας ἀμενοῦς. Inde: ἀμενηνός, cujus vis non est «immeditans» («nicht denkend») (cf. Benfeyi Gr. Wurzellexicon l. c.); quod si ita esset, minime dici poterat: νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα. Neque, quae Doederleinii est sententia (Hom. Gloss. n. 147): οὐ μένων vertendum est: «nicht bleibend»; cum et adjectivi ἀμενής significatio, et illius apud Homerum usus satis demonstrant vim adjectivi ἀμενηνός esse: «debilis,» infirmus,» alia; de formaione vocabuli vide supra. — Quo sensu de vulnerato adhibetur ut E 887: ἤ κε ζὼς ἀμενηνὸς ἔα χαλκοῖο τυπῇσιν, et de mortuis, quod jam commemoravimus, et de somniis, ut τ 562: δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσιν ὀνείρων, quae infirmae itaque vanae sunt imagines. Quare apud Aristoph. Av. 686 de generis humani imbecillitate dictum est: ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλ' ἀμενηνά. Inde formatum est: ἀμενηνόω ut N 562: ἀμενήνωσεν δέ οἱ αἰχμήν «cuspidem debilitavit» h. e. inutilem fecit. — Porro ad μένος «animus» referenda sunt: ζαμενής (= διαμενής) «validus,» ut in hymno in Merc. 307 de Apolline est: Ἑκάεργε, θεῶν ζαμενέστατε πάντων· — ὑπερμενής «praepotens,» quod Jovis et regum epitheton est in carminibus Homericis. Idem significat ἄνδρες ὑπερμενέοντες, quod τ 62 de procis dictum est, et in hym. Hom. VIII, 1: Ἆρες ὑπερμενέτα. —

Atque irascendi significationem, quam ex concupiscendi ortam esse jam vidimus, in his formationibus verbalibus et nominalibus invenimus. Primum autem huc referem: μενεαίνω, ut α 20: ὁ δ' ἀσπερχὲς μενέαινεν, vel Γ 58: θυμοβόρῳ ἔριδι μενεήναμεν εἵνεκα κούρης. Deinde μηνίω Dor. μανίω, ut in Eur. Hippol. 1146: μανίω θεοῖσιν, quod verbum inde ab Homero usitatissimum est; idem significat: ἐπιμηνίω. Nominales autem formationes sunt: μένος, ut A 283: Ἀτρείδη, σὺ δὲ παῦε τεὸν μένος (= «compesce mentem» apud Horat. Od. I, 16, 22). Porro: μῆνις «ira,» Dor. μᾶνις ut apud Pindarum Pyth. 4, 282: δύνασαι δ' ἀφελεῖν μᾶνιν χθονίων et Aeol. μαῖνις. Cum hoc autem vocabulo comparari potest: Scrt. manju «ira,» Sloven. sŭ-mêją, sŭ-mêti «audere,» Germ. môd-a = Germ. vet. sept. modh-r «ira» Goth. mods. Theod. vet: moot. — Tum μήνιμα, «causa irae,» ut X 358: φράζεο νῦν, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι. — μηνιθμός «iracundia» ut Π 62: ἤτοι ἔφην γε οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν. — μηνίτης «iracundus» Arr. Epict. 4, 5, 18, p. 599: ὅρα μόνον . . . ., μή τι ὀργίλος ἐστὶ μή τι μηνίτης. — μηνίαμα «ira» Sir. 40, 6:

μηνίαμα καὶ ἔρις, et apud Hesych.: μῆνισις. Interpretatur enim ἀπομηνίειν· τὴν μῆνισιν ἀπαγγέλλειν.

Atque complura composita sunt, ut: ἀμήνιτος Herodot. 9, 94; δύςμηνις «ira cum gravi odio» Anthol. Pal. 9, 69; βαρύμηνις in Aesch. Agam. 1483, et βαρυμήνιος «graviter sucensens» apud Theocr. 15, 138: βαρυμάνιος ἥρως aliaque similia.

Furendi autem sive insaniendi significationem praebent hae formationes: μαίνομαι, in perf. tempore: μέμηνα, inde ab Homero usitatum: «furo.» Idem est: περιμαίνομαι Hes. sc. 99. ἐπιμαίνομαι vero est: «amore alicujus insanire», ut Z 160: τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο. — Activum autem apparet in: ἐκμαίνω, quod «ad furorem incitare» significat, ut in Eur. Hippol. 1229: ταῦρος φόβῳ τέτρωρον ἐκμαίνων ὄχον, vel: «amorem et cupiditatem excitare,» ut in Soph. Trach. 1142: τοιῷδε φίλτρῳ τὸν σὸν ἐκμῆναι πόθον. — Atque nominales formationes sunt: μανία «furor,» «insania,» quo sensu in oratione soluta et ligata usitatissimum est; porro poëtarum insaniam designat, ut in Plat. Phaedr. p. 245 A: τρίτη δὲ ἀπὸ Μουσῶν κατοχή τε καὶ μανία κ. τ. λ. — A μανία derivatum est: μανιάω apud Joseph. B. J. I, 7, 5: μανιῶντες ἐν ταῖς ἀμηχανίαις. — Porro: Μανίαι, αἱ: Furiarum nomen; — μανιάς, άδος, «furibunda,» «insana» ut Soph. Aj. 59: ἄνδρα μανιάσιν νόσοις ὤτρυνον, vel in Eur. Orest. 326: ἐκλαθέσθαι λύσσας μανιάδος. — μανικός «insanus,» «ad insaniam pronus» cf. Luc. Q. H. S. c. 38: ὀλέθριος καὶ μανικὸς ἄνθρωπος, porro est: «divinus ac numine inflatus» apud Aristid. orat. in Jov. vol. I, p. 2. — μανικῶς Plat. leg. I, p. 897 C: μανικῶς καὶ ἀτάκτως ἔρχεται. — μαινόλης «furibundus», quod Hesych. παράκοπος, ἔνθεος interpretatur, ut apud Euripid. Orest. 823: τὸ δ᾽αὖ κακουργεῖν ἀσέβεια μαινόλις. — Composita autem sunt: μανιώδης «furiosus,» «insanus» in Eur. Bacch. 299: τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει. — μανικώδης apud Hippocr. p. 195 C. Denique nonnulla glossae commemorandae sunt, quae huc pertinent: μαινοῶν· ἐνθουσιῶν Hesych. μαίνω· ἐνθουσιωδῶς κινοῦμαι apud Suidam. μάνην· τὴν μανίην apud Photium.

Neque dubium est, quin ex furendi notione divinandi profecta sit, ut μάντις ejusque derivata cum μαίνομαι (= μαν-jομαι) artissime cohaereant. Cujus rei testis est et Platonis locus in Phaedr. p. 244 B et C: ἥ τε γὰρ ἐν Δελφοῖς προφῆτις, αἵ τε ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ

δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα εἰργάσαντο κ. τ. λ., et Euripidis in Bacch. v. 299, quem modo laudavi, et Ciceron. locus de div. 1, 1: «μαντικὴν praesensionem et scientiam rerum futurarum Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt». (cf. etiam Schoemann. Griech. Alterthüm. II², 270 et Welcker. Götterlehre II, 10). Et recte mea sententia Pottius (K. Z. VI 108). «Aber, inquit, wie der furor poëticus nebst μαίνω, μάντις .... zeigen, schlägt ja das exaltirteste denken da, wo die kalte überlegung aufhört, oft in die höchsten ergüsse des geistes um». Quare etiam in Sanscrito sermone: muni (a man rad. cf. P. W. s. v.) «fanaticum», «furentem» et «vatem» significat.

Atque primum huc referendum est: μάντις «vates», quod inde ab Homero in omni orationis genere usitatissimum est. Sed etiam improprie de rebus adhibetur, ut in Aesch. Sept. 402: τάχ' ἂν γένοιτο μάντις ἡ ἐννοία τινί. Apud Theocr. vero 10, 18 locusta dicta est ἡ μάντις: μάντις τοι τὰν νύκτα χροΐξεται ἁ καλαμαία, ubi Schol. interpretatur μάντιν vocari, quod famem praenuntiet. Aliter Suidas sub: ἀρουραία μάντις· ἔστι δὲ ἀκρὶς, δυςκίνητος χλωρὰ καλουμένη μάντις, ἧς τινες προςέχοντες ταῖς κινήσεσι μαντεύονται. — Atque a *μαντευ themate = μαντι-complures formationes derivatae sunt. Sic: μαντεύομαι «vaticinor», «auguror», ut β 300: ἦ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται ἦε καὶ οὐκί. Porro, ut est in illo proverbio: «μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς» etiam «conjicere» «opinari» significat, ut in Aesch. Agam. 1367: μαντευόμεσθα τἀνδρὸς ὡς ὀλωλότος. Tum «oraculum consulere, petere» illud verbum designat inprimis in prosa oratione, ut apud Herodot. 8, 36: οἱ δὲ Δελφοὶ ... ἐν δείματι ... κατεστῶτες ἐμαντεύοντο περὶ τῶν ἱρῶν χρημάτων. Composita autem sunt: ἀναμαντεύομαι «oraculum tollo» Phryn. in Bekk. Anecd. p. 26, 9. ἀπομαντεύομαι «divino» Plat. Lys. p. 216 D.: λέγω ἀπομαντευόμενος, καταμαντεύομαι «vaticinor» Aristot. Rhet. I, 9. — Atque formationes nominales inde derivandae hae sunt: μάντευμα «oraculum» Pind. Pyth. 4, 73: ἦλθε δέ οἱ κρυόεν μάντευμα, vel Soph. Oed. R. 992: θέηλατον μάντευμα δεινόν, ὦ ξένε. — μαντευτής «vaticinator, vates». Heliod. Aeth. 9, 1. — μαντευτός «vaticinio praeditus» in Eur. Jon. 1209: ὁ μαντευτὸς γόνος. — μαντευτέον «vaticinandum» ibid. 373: τῷ γὰρ θεῷ τἀναντί' οὐ μαντευτέον. — μαντευτικός «vaticinandi peritus» apud Schol. in Eur. Or. 1661. — μαντεύτρια Schol. Par. Lycophr. 1468. — Porro ad vatici-

nandi significationem spectant: μαντεία «vaticinatio», ut in Soph. El. 499: ἤτοι μαντεῖαι βροτῶν οὐκ εἰσιν ἐν δεινοῖς ὀνείροις, tum est: «oraculum» cf. Soph. Oed. R. 149: Φοῖβος δ' ὁ πέμψας τάσδε μαντείας· denique «conjecturam» designat Plat. Phil. p. 66 B: ὡς ἡ ἐμὴ μαντεία. — μαντεῖος «divinus» Pind. Olym. 6, 7: βωμῷ μαντείῳ. — μαντεῖον autem «oraculum», «sors» est, ut μ 272|: ὄφρ' ὑμῖν εἴπω μαντήϊα Τειρεσίαο. Porro «oraculum, sortes» significat Herodot. I, 48: νομίσας μοῦνον εἶναι μαντήϊον τὸ ἐν Δελφοῖσι. — μαντικός «ad vatem pertinens» ut Plat. Phaedr. p. 275 B: ἐν τῷ . . . ἱερῷ λόγους ἔφασαν μαντικοὺς . . . γενέσθαι. — μαντική «vaticinatio» Soph. Oed. R. 311: ἄλλην μαντικῆς ἔχεις ὁδόν. — μαντικῶς «vatis modo», «divinitus» Aristoph. Pac. 1026. Porro: μαντόσυνος «fatidicus» apud Eur. Iph. Aul. 761: ὅταν θεοῦ μαντόσυνοι πνεύσωσ' ἀνάγκαι. — μαντοσύνη A 72: ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος 'Απόλλων. Compositorum autem nominalium nonnulla affero: ἀμφιμάντωρ apud Hesych.: δύςμορος, κακοθάνατος. — θεόμαντις, «qui dei instinctu vaticinatur» Plat. apol. p. 22 C., cui oppositum est θυμόμαντις, «qui animo futura prospicit» in Aesch. Pers. 224; κακόμαντις, «vates mala divinans» ibid. v. 10. aliaque similia.

Nunc altera hujus significationum classis tractanda nobis est, in qua posuimus notiones:

b) permanendi, perseverandi, constandi. Formationes autem, quae huc referendae, hae sunt: Primum μένω «maneo», «permaneo», «constanter maneo» jam apud Homerum saepissime usurpatur, ut K 62: αὖθι μένω μετὰ τοῖσι . . . . ἦε θέω μετὰ σ' αὖτις. Ex manendi vi profecta est perseverandi, ut μένειν idem sit atque τλῆναι, quocum conjunctum est Λ 317: ἤτοι ἐγὼ μενέω καὶ τλήσομαι, vel apud Tyrtaeum 11, 11 (Bgk): οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι παρ' ἀλλήλοισι μένοντες, vel apud Herodian. 3, 2, 10: μένοντες ἐπὶ τῆς πρὸς ἐκεῖνον εὐνοίας. Sic etiam in Latino sermone dicitur: «socii in fide manserunt» (Livius) vel: «manere perpetuo in fide, amicitia» (Cicero). Res quoque dicuntur μένειν, quae immotae et fixae manent, ut Λ 443: ἀλλ' ὥς τε στήλη μένει ἔμπεδον. — Atque in Graeco et Latino sermone manendi verbum transitivam vim recepit, quae ex priore orta est: h. e. exspectandi. Sic in Latino: «manere aliquem» dicitur, ut apud Horat. Od. I. 28, 15: «sed omnes una manet nox» i. e. exspectat, ut in Graeco apud Pind. Isthm. 7, 68:

τὸ δὲ παρ' δίκαν γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά, vel K 37: ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν νοστήσαντα ἄνακτα. Imprimis autem «hostes sustinere» significat, ut E 527: ὣς Δαναοὶ Τρῶας μένον ἔμπεδον οὐδ' ἐφέβοντο. — Denique μένειν est: «versari, habitare», ut apud Polyb. 30, 4, 10: οὐ μὴν τοῖς γε παρεπιδημοῦσιν οὐδὲ τοῖς ἐκεῖ μένουσι τῶν Ἑλλήνων οὐδαμῶς ἤρεσκεν. Compositorum autem nullum peculiarem significationem praebet, quae non insit in simplici. Sic ἀναμένειν «manere et exspectare» est, ἀπομένειν «remanere», διαμένειν, διαμονή «constantia; porro: ἐμμένειν apud Thucyd. 5, 15: ἐμμενῶ ταῖς ξυνθήκαις, ut apud Verg. Aen.: «tu modo promissis maneas»; inde: ἐμμονή «perseverantia», ἔμμονος «constans» et ἐμμενής, et apud Homerum: ἐμμενές αἰεί «constanter». Num autem Hesychii glossema: ἐμμόνιαι· συνθῆκαι huc pertineat, propter accentum (cf. μονίη) dubitari licet. — Atque eodem sensu accipiuntur: ἐπιμένειν, καταμένειν, unde καμμονίη «victoria» ut X 257: αἴ κεν ἐμοὶ Ζεὺς δώῃ καμμονίην, quod vocabulum Hesychius explicat: τὴν ἐκ καταμονῆς νίκην, vel ut est apud Lehrs. (de Aristarch. stud. Hom. p. 112): «καμμονίη non omnis victoria est, sed quae paratur stando et sustinendo». — Denique ὑπομένειν est: «tolerare», «perferre» ut apud Thucyd. I, 8: οἵ τε ἥσσους ὑπέμενον τὴν τῶν κρεισσόνων δουλείαν, inde: ὑπομονή «firmitas», «patientia» est. — Neque aliam vim atque μένειν ejusque composita habent: μίμνειν et μιμνάζειν, quae jam apud Homerum inveniuntur. — Nominales autem formationes, quae huc spectant, sunt hae: μονή «mansio» ut apud Aristoph. Av. 417: ὁρᾷ . . . τί κέρδος . . . ἄξιον μονῆς. A Thucydide autem in malam partem accipitur, pro «desidia» et «mora» ut I, 31: οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ τὴν μονὴν ποιούμενος, ubi Schol. ἀγρίαν interpretatur. Tum μονή mansionem i. e. diversorium publicum viatorum significat, ut apud Hesych. s. v. στεγανόμιον· τὸν μισθὸν . . . . διδόμενον ὑπὲρ τῆς μονῆς τῷ πανδοκεῖ. Porro: μονίη «permansio» est i. e. «quies», ut apud Empedocl. v. 138 (ed. Stein): κύκλος σφαιροτέρης μονίῃ περιήγεϊ γαίων, — μόνιμος «constans», «permanens», «assiduus», «fidus», ut apud Soph. Oed. R. 1322: σὺ μὲν ἐμὸς ἐπίπολος ἔτι μόνιμος, inde: μονιμότης «constantia» Procl. in Plat. Alcib. p. 60. Tum huc pertinent: μενετός «qui manere potest» Thuc. I. 142: τοῦ δὲ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί i. e. moram non patiuntur. — μενετικός «manens» apud Marc. Aurel. I. 16. —

Denique nonnulla composita commemoranda sunt, ut μενεδήιος «qui hostem sustinet», μενεπτόλεμος, μενεχάρμης vel μενέχαρμος «qui in pugna firmus stat»; quae jam apud Homerum usurpantur. Similia autem significant: μενέγχης, μενέδουπος alia.

Postremo προμνηστῖνοι vocabulum, quod tantum in Odyssea λ 233 et φ 230 invenitur, huc nullo modo referendum esse opinor. Veterum enim illius interpretatio, ut Hesychii, est: ἑτέρα πρὸ τῆς ἑτέρας, οἱ δὲ ἑξῆς καὶ ἐκ διαστημάτων ἀναμείνουσαι ἀλλήλο(ι)ς. Alio autem loco est: προμνηστῖνοι· ἐπὶ μῖαν, ἀπὸ τοῦ προμένειν, ut προμνηστῖνοι pro: προμενετῖνοι dictum sit. Sed ex hoc nullo modo illud oriri potuit. Benfeyi autem illius vocabuli deductio ex praepos. προ cum suffixis: μνη = μενο = mana, et στο = ιστο, quod est superlativi, et ινο, minime arridet.

C.

Restat, ut de tertia significationum classe agamus, quam in duas partes dividimus:

a) reminisci, commonere, commemorare,

b) indicare, sive pronuntiare.

Atque significationes, quae ad priorem partem spectant: μιμνήσκω, quod monendi vim habet Α 407: τῶν νῦν μιν μνήσασα. — μιμνήσκομαι autem, vel apud Homerum μνάομαι recordandi, reminiscendi vim habet, ut δ 106: ὅς τέ μοι ὕπνον ἀπεχθαίρει καὶ ἐδωδὴν μνωομένῳ i. e. «recordanti», vel ο 54: τοῦ γάρ τε ξεῖνος μιμνήσκεται ἤματα πάντα i. e. «memor est». μέμνημαι autem idem significat atque Latinorum: «memini», et praesentis temporis vim habet, velut Ε 818: ἀλλ' ἔτι σέων μέμνημαι ἐφετμέων h. e. «memini, memor sum». Commemorandi vero significationem invenimus δ 118: ἠέ μιν αὐτὸν πατρὸς ἐάσειε μνησθῆναι. Atque eadem designant: ἀναμιμνήσκειν, ἀπομιμνήσκομαι, δια-, ὑπομιμνήσκειν. προμνάομαι vero est, ut apud Sophocl. Oed. Col. 1075: «suspicari»: προμνᾶταί τί μοι γνώμα. Nominales autem formationes sunt: μνεία: «recordatio», «memoria», ut apud Soph. El. 392: βίου δὲ τοῦ παρόντος οὐ μνείαν ἔχεις; itaque μνείαν ποιεῖσθαί τινος idem est atque Latinorum «mentionem facere alicujus rei», ut in Plat. Phaedr. p. 254 A: μνείαν ποιεῖσθαι τῆς τῶν ἀφροδισίων χάριτος. — μνείας χάριν ut μνήμης χάριν frequens in inscr. formula est (cf. C. J. G. n. 1784 et 1786). — Neque alias significationes habet μνήμη: «me-

moria», mentio, ut apud Soph. El. 346: τῶν φίλων φρονοῦσα μὴ μνήμην ἔχειν, vel apud Thucyd. II, 54: οἱ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον μνήμην ἐποιοῦντο. Tum μνήμη aeque ac Latinorum «mens»: memoriam («gedächtniss») significat; sic διὰ μνήμης φέρειν dicitur i. e. «memoria tenere». Denique apud Aristotelem μνῆμαι «inscriptiones» sunt, ut Rhet. I, 5: μνῆμαι ἐν μέτροις καὶ ἄνευ μέτρων. — A μνήμη formatum est μνημεῖον vel μνημήϊον: «id, quod nos rei vel personae recordari facit» et: «memoria», ut in Plat. Tim. p. 26 B: τὰ παίδων μαθήματα θαυμαστὸν ἔχει τι μνημεῖον. Tum «monumentum» designat, ut Eur. Iph. Taur. 702: τύμβον τε χῶσον κἀπίθες μνημεῖά μοι. — Porro: μνῆμα «id, quo nobis aliqua res in memoriam revocatur»; itaque easdem habet significationes atque Latinorum «monumentum», ut ο 126, ubi Helena Telemacho: δῶρόν τοι, inquit, καὶ ἐγώ ... τοῦτο δίδωμι μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν, quod Verg. Aen. III. 486 sic imitatus est: «Accipe et haec, manuum tibi quae *monumenta* mearum sint». Inde orta est vis «monumenti deo sacri», ut apud Thucyd. I, 132 in tripodis inscriptione, quae est: Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε. Denique «sepulcrum vel monumentum» designat, ut Ψ 619: Πατρόκλοιο τάφου μνῆμ' ἔμμεναι. — ὑπόμνημα vero inprimis in plurali numero significat: id, quod quis sibi scribit subsidio futurae memoriae, ut Latinorum: «commentarii». Quare apud Polyb. est V, 33, 5: ὑπομνηματίζεσθαι κατὰ καιροὺς τὰς πράξεις h. e. commentarios scribere. Atque ex themate μνηματ- ortum est μνηματίτης λόγος apud Eustath. Od. p. 1673, 45: oratio sepulcralis. — Porro huc pertinet μνήμων «memor» et: «bona memoria praeditus» ut apud Aristoph. Nub. 413: εἰ μνήμων εἶ καὶ φροντιστής. — A μνημον autem themate emanaverunt: μνημόνειος «ad memoriam pertinens» Poll. 6, 108. — μνημονικός «memoria valens» Plat. Hipp. min. p. 368 D. — μνημοσύνη «memoria», quod jam apud Homerum perhibetur Θ 181: μνημοσύνη τις ἔπειτα πυρὸς δηΐοιο γενέσθω. — μνημόσυνον «monumentum» apud Herdt. II, 135: ἀναθεῖναι ἐς Δελφοὺς μνημόσυνον ἑωυτῆς, — A *μνημονευ- vero orta sunt: μνημονεύω, quod in oratione soluta et ligata saepissime usurpatur et eodem quidem sensu atque μιμνήσκω. — μνημόνευμα: «res, quae memoriae mandatur», cf. Aristot. de mem. c. 1. — μνημονευτός ibid. — μνημονευτέον Plat. rep. 4 p. 441 D. — μνημονευτικός «qui me-

moria valet» apud Plotin. — Denique commemoranda sunt: μνῆστις «cogitatio», «memoria», ut ν 280: δόρπου μνῆστις ἔην. — μνηστήρ «admonitor» Pind. Pyth. 12, 42: μνηστῆρ' ἀγώνων. — μνήστειρα ap. eund. Istm. 2, 5. — μνήστωρ «memor», ut in Aesch. Sept. 181: ὀργίων μνήστορες ἐστέ. — Porro complura perhibentur composita: ἀμνηστέω «memoria non teneo» ἀμνηστία apud Plut. «oblivio». — μνησίθεος, μνησίκακος, μνησίφιλος cet. h. e. dei, mali, amici memor.

Atque ex notione recordandi et cogitandi («gedenken») profecta est: procandi, petendi puellam («freien, werben»). Sic in Theod. vet. meina «mens» et «amor» est, et meinan, vel meinen: «cogitare», «amare», ut: «daz ich got einen mit allem muote wil *meinen*» i. e. «amare», «colere» (cf. Graff. Ahd. Sprachschatz, II. 787); porro: minna vel minnja «memoria», «amor»; et minnôn: «donare, amare». Et profecto ejus rei vel personae memores sumus, quae cordi nobis est (cf. nostrum: «vergiss mein nicht»). Sic etiam in Sanscrita lingua «Amor», deus, manasig'â, vel manobhû, vel-bhava dicitur, i. e. in animo vel mente natus sive ortus; et in Latino sermone «mentionem facere» interdum nostrum «freien, werben» significat, ut in Plaut. Aul. II, 2, 27: «Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur».

Atque formationes, quae illam vim continent, sunt hae: μνάομαι, quod in Odyssea tantum, ubi frequentissime adhibetur, procandi vim habet; apud Herodotum autem ut I, 36: μνεόμενος ἀρχήν «magistratum petens» dicitur. Composita hujus verbi sunt: προμνάομαι «puellam ambire pro aliquo», et: προμνήστρια «conjugii conciliatrix» Ar. Nub. 41. — ὑπομνάομαι autem, ut χ 38, est: «astute et callide sponsam ambire». — Nominales autem formationes sunt: μνηστή «petita», «sponsa», quod apud Homer. cum ἄλοχος conjunctum est, ut Ι 399: ἄλοχον μνηστήν. — μνηστύς «procatio» ut β 199: παύσεσθαι.... μνηστύος ἀργαλέης. — μνηστήρ «procus» saepissime inde ab Homero apud poëtas usurpatur. — μνήστειρα «sponsa» Agathias in Anth. Pal. 5, 276, 1: σοὶ τόδε τὸ κρήδεμνον, ἐμὴ μνήστειρα, κομίζω. — μνηστήριος «ad procum pertinens» μνηστήρια δῶρα Epigr. — μνήστωρ, quod ὁ δοὺς τοῦ γάμου δῶρα Hesych. explicat, apud Clem. Alex. p. 212. Porro a *μνηστευ derivata sunt: μνηστεύω «ambire puellam» ut σ 277: καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα

μνηστεύειν ἐθέλουσι. Inde etiam: «matrimonium inire» significat, ut μνηστεύειν γάμον dicitur. Atque de parentibus puellae usurpatur, ut sit: «spondere», ut μνηστεύω γάμους Eur. Iph. Aul. 847. — Ut autem μνάομαι, sic μνηστεύω «aliquid petere» significat, ut apud Isocr. p. 162 A: παρελήλυθα γὰρ οὐ χειροτονίαν μνηστεύσων. — Porro: μνήστευμα «nuptiae» in Eur. Phoen. 580: ὦ κακὰ μηστεύματα — μνήστευσις «procatio» Antiatt. Bekk. p. 107, 23: μνήστευσιν· τὴν μνηστείαν. — Denique μνηστεία, idem, Plut. Cat. min. 30; et μνή(σ)τεια· γάμου δῶρα apud Hesych.

Postremo altera hujus classis pars tractanda nobis est, h. e. de formationibus, quae indicandi vel pronuntiandi vim habent. Atque huc primum pertinet: μηνύω Dor. μανύω «indicare», exprimere», «prodere», ut in h. Hom. in Merc. 254: μήνυέ μοι βοῦς θᾶττον, vel apud Eur. Hipp. 1077: τὸ δ' ἔργον οὐ λέγον σε μηνύει κακόν i. e. ostendit. Quare etiam «monstrare» significat, ut in Plat. Phaedr. p. 277 C: ὡς ὁ ἔμπροσθεν πᾶς μεμήνυκεν ἡμῖν λόγος. — καταμηνύειν autem significat «indicare», et apud Demosth. «accusare», et προμηνύειν «pronuntiare».

Atque formationes nominales sunt: μήνυμα «indicatio» Thuc. 6, 29. — μήνυσις, idem, Plat. legg. 11, p. 932 D. — μηνυτήρ «nuntius» ut ap. Aesch. Eum. 245: ἕπου δὲ μηνυτῆρος ἀφθέγκτου φραδαῖς. — μηνυτής «proditor» Thuc. I, 132: οὐδὲ τῶν Εἱλώτων μηνυταῖς τισι πιστεύσαντες. — μηνύτωρ, idem, Epigr. Phil. in Anthol. Pal. 11, 177, 1. — μήνυτρον «pretium indicii» ut in hym. Hom. in Merc. 264: οὐκ ἂν μηνύσαιμ', οὐκ ἂν μήνυτρον ἀροίμην. — μηνυτικός «indicans»: γράμμα μηνυτικόν Dio Cass. 78, 21. Denique Hesychii glossemata: μηνυτρίζεσθαι i. e. μηνύεσθαι et: μηνυθῆναι· βούλεσθαι.

Denique omnia, quae adhuc exposuimus, si perlustramus, duas res invenimus, quae et ad formam et ad significationem man radicis pertinent:

Primum enim et ipsa man rad. et aliae hujus rad. stirpes a breviore i. e. a ma ortae sunt, quam omnes linguae Indogermanicae ostendunt.

Tum autem ex notione primaria, quae tangendi est, abstracta profecta est, quae in omnibus linguis Indogermanicae stirpis exstat. Ex illa autem rursus notiones, quae magis sub sensum cadunt, emanaverunt.

Jonas Babad.

De vita sua.

Natus sum Rzeszowiae, in urbe Galaetiae Decembri mense a. h. s. XLVII. patre Chaim adhuc vivo, matre Schoendel e gente Blumenfeld, quam priore anno mortuam esse maxime doleo. Fidei sum addictus Judaicae. Puer undecim annorum Vratislaviam veni, ubi, cum a prima pueritia usque ad annum quartum decimum vitae nihil aliud nisi Ebraicas literas didicissem, sedecim demum annos natus gymnasium Elisabetanum adii, quod etiam nunc Fickertio v. ill. floret. A. LXX. maturitatis testimonium adeptus stipendia feci; tamen a v. ill. Stobbeio tunc Viadrinae rectore Decembri mense illius anni in civitatem academicam adscriptus sum. Nec multo post in Francogalliam veni; sed bello finito domum redii, ubi per tria semestria vv. ill. Caro, Dilthey, Foerster, Hertz, Neumann, Mall, Quaebicker, Reifferscheid, Rossbach, Schulz, Stenzler, operam dedi. A. LXXII. Lipsiam petii, ibique per quattuor semestria vv. ill. Brockhaus, Curtius, Drobisch, Kuhn, Lange, Leskien, Merkel, Ritschl, Zarncke audivi. Inprimis autem grammaticis studiis operam navavi eoque societatis, quae Curtio, viro illustrissimo, regente floret, per quattuor semestria socius fui.

Quibus omnibus viris doctissimis et illustrissimis praecipue autem Curtio maximam habeo gratiam semperque habebo.

---

a
germ.
Tum
profecta es.
exstat. Ex in
cadunt, emanaver

1875